DE JUSTITIA

APUD ARISTOTELEM

HANC THESIM
FACULTATI LITTERARUM IN UNIVERSITATE PARISIENSI PROPONEBAT

P. LAPIE
in Universitate Rhedonica colloquiorum magister.

LUTETIÆ PARISIORUM
EDEBAT FELIX ALCAN BIBLIOPOLA
CVIII, VIA SAINT-GERMAIN, CVIII
M C M II

DE JUSTITIA APUD ARISTOTELEM

DE JUSTITIA

APUD ARISTOTELEM

DISSEREBAT

P. LAPIE

in Universitate Rhedonica colloquiorum magister.

LUTETIÆ PARISIORUM

EDEBAT FELIX ALCAN BIBLIOPOLA

CVIII, VIA SAINT-GERMAIN, CVIII

M C M II

DE JUSTITIA

APUD ARISTOTELEM

HANC THESIM

FACULTATI LITTERARUM IN UNIVERSITATE PARISIENSI PROPONEBAT

P. LAPIE

in Universitate Rhedonica colloquiorum magister.

LUTETIÆ PARISIORUM

EDEBAT FELIX ALCAN BIBLIOPOLA

CVIII, VIA SAINT-GERMAIN, CVIII

M C M II

DE JUSTITIA APUD ARISTOTELEM

DE JUSTITIA APUD ARISTOTELEM

DE JUSTITIA

APUD ARISTOTELEM

DISSEREBAT

P. LAPIE

in Universitate Rhedonica colloquiorum magister.

LUTETIÆ PARISIORUM

EDEBAT FELIX ALCAN BIBLIOPOLA

CVIII, VIA SAINT-GERMAIN, CVIII

M C M II

MAGISTRO SUO

V. BROCHARD

IN UNIVERSITATE PARISIENSI
PHILOSOPHIÆ ANTIQUÆ PROFESSORI

Hoc grati animi pignus

D. D. D.

DE JUSTITIA APUD ARISTOTELEM

PROOEMIUM

De justitia apud Aristotelem primum dicendum est cur disserere velimus.

Nisi certos fines nobis constituissemus, non solum quid Aristoteles sed etiam quid unusquisque græcorum sapientium de justitia senserit quærere juvaret. Nam quis locus magis quam illa antiqua Græcia ad scientiam juris promovendam unquam idoneus fuit? ubi minimorum municipiorum magistratibus non solum ea cura fuit ut vias immunditiis purgarent sed etiam ut corpus quoddam legum integrum instituerent. Quot enim Græci civitates condiderunt, tot officinas juris instruxerunt. Itaque si quis ad justitiam definiendam varias juris species conferre voluisset, is uberiorem legum copiam in parva illa Græcia quam nos in magna nostra Europa colligere potuisset.

Quod opus Aristoteles primus suscepit. Nam cum nonnulli sapientes[1] animum ad justas leges condendas vel ad

1. Cf. Zeller, *Die Philosophie der Griechen,* Erster Theil, 4e Auflage, p. 63, n. 1 : « Der Zusammenhang des politischen und des philosophischen Charakters zeigt sich namentlich darin, dass sich gerade von den ältesten Philosophen nicht wenige als Staatsmänner, Gesetzgeber, politische Reformatoren und Feldherrn einen Namen gemacht

justa judicia ferenda adhibuerant, iis jus exercere potius quam definire placuerat. Quippe cur justitiam descripsissent? Nonne, ut Polus apud Platonem loquitur[1], omnes quæ sit justitia se scire credunt? Quid occultum jus illud esse potest quod quotidie in sexcentis civitatibus palam creatur palamque immutatur? Itaque quid refert eam, quam omnes noverunt, justitiam docere? Hæc docenda sunt quæ justæ leges facienda jubent, quæ contraria prohibent. Cum igitur ad usum potius quam ad doctrinam omnis illa pristina sapientia spectaret, materiam scientiæ paravit, scientiam vero nondum informavit.

Jam autem Periclis ætate, is risum movisset qui Solonis personam cepisset. Tum enim nulla est Græcorum civitas, nulla colonia quæ leges suas non habeat; quas, si velit, ipse populus, sententiis sapientium neglectis, mutat. Porro, ita diversæ sunt leges græcarum civitatum ut incerta et obscura justitia esse videatur. Itaque philosophi, cum prisco suo magistratu sunt depulsi, justitiam definire conantur. Alii, ut sophistæ, populares oratores docent nihil aliud justum esse nisi quod utilitati potentiorum indulgeat. Alii, inter quos Plato eminet, cum apud cives suos parum valeant, perfectam quamdam civitatem cujus leges justæ sint, fingunt. Aristoteles denique leges omnium civitatum et sententias omnium philosophorum ita colligit et comparat ut scientiam juris primus instituat.

haben. Die politische Thätigkeit des Thales und der Pythagoreer ist bekannt, von Parmenides wird berichtet, er habe seiner Vaterstadt Gesetze gegeben, von Zeno, er sei beim Versuch zur Befreiung der seinigen umgekommen, Empedokles war der Wiederhersteller der Demokratie in Agrigent, Archytas war gleich gross als Feldherr und Staatsmann, und Melissus ist wahrscheinlich derselbe, welcher die athenische Flotte besiegt hat. — Cf. p. 99, n. 1.

1. *Gorgias*, p. 461 *c*.

Cum igitur quid unusquisque græcorum philosophorum, tum præcipue quid Aristoteles de justitia[1] senserit cognoscere magni refert. Itaque quæramus an idem ille philosophus qui logicam scientiam in æternum condidit scientiæ juris fundamenta substruxerit inconcussa.

*
* *

Quod cum quærere volumus, dubium est an possimus cognoscere. Librorum enim illorum quos Aristoteles de justitia scripserit nescio an ullus nobis traditus sit. Neque eas Πολιτείας πόλεων quas diligenter collegerat (illa tamen excepta quæ Ἀθηναίων πολιτεία inscribitur), neque illos « de ipsa justitia quatuor... grandes libros » quos Cicero laudavit[2] legere nobis licet. Quintum quidem *Ethicorum Nicomacheorum* librum, qui de justitia agit, legimus, sed nos Grant monet ne hunc librum, quem Eudemus scripserit, Aristoteli tribuamus[3]. Nisi igitur loci quidam in *Politicis* vel in *Arte Rhetorica* vel in ceteris Aristotelis libris sparsi quid philosophus noster de justitia sensisset satis exprimerent, ab incepto discedere cogeremur.

Cur vero quintum *Nicomacheorum* librum, cum neque

1. Per justitiam Aristoteles illam *ethicam virtutem* intelligit ἀφ' ἧς πρακτικοὶ τῶν δικαίων εἰσὶν καὶ ἀφ' ἧς δικαιοπραγοῦσιν καὶ βούλονται τὰ δίκαια (*Eth. Nic.* E., 1. 1129 a 8). Itaque hæc omittemus quæ omnibus virtutibus sunt communia ut illa quæ justitiæ propria sint quæramus. De « jure » (δίκαιον) potius quam de « justitia » (δικαιοσύνη), vel de justitia « objectiva » potius quam de justitia « subjectiva » disseremus.

2. *De Rep.*, III, 8. Cf. Diog. Laert. V, I, 22 : περὶ δικαιοσύνης α' β' γ' δ'.

3. *The Ethics of Aristotle*, vol. I, Essay I.

ejus verba neque sententiæ id quod Eudemi proprium sit præbeant, Eudemo tribueremus ? Verba quæ in *Eudemiis* parum aristotelica esse videntur num in quinto *Nicomacheorum* libro legimus[1] ? Divino illo spiritu quo Eudemus[2] num scriptor illius quinti *Nicomacheorum* libri afflatur? Minime, ut mox demonstrabimus. Deinde quoniam verbis et sententiis quintus hic *Nicomacheorum* liber cum multis vel *Politicorum* vel *Artis rhetoricæ* locis congruit[3], cur hunc Aristoteli

1. Cf. indicem quem Susemihl post *Eth. Eudem.* scripsit. — Grant dicit (vol. I, p. 30) Eudemum logicis verbis (ex. gr. : ὅρος, ἐπαγωγή) sæpius quam Aristotelem uti : at rara sunt, in V^to^ *Nic.* libro, logica verba : nullum Grant ipse laudat nisi τὸ αὐτό (1130 a 12, vol. II, p. 104). Deinde Eudemus et Aristoteles versus ita laudare solent ut nomen poetæ alter memoret alter omittat (Grant : vol. I, p. 24, 30, 61) : at duo versus, in V^to^ *Nic.* libro, sine nomine poetæ referuntur (1129 b 30, 1132 b 27) : sunt quidem duo loci quorum auctores nominantur (1136 a 13, b 10) sed hos locos in illis capitibus legimus quæ suspicionem movent. Itaque, etiamsi jure Grant VI. et VII. *Nic.* libros Eudemo tribuisset, V. Aristoteli tribuere liceret.

2. V. Grant, vol. I, p. 27. — Cf. Barthélemy-Saint Hilaire, *La Morale d'Aristote*, vol. I, p. CCXCIX, CCCVIII. — Mentem Eudemi Grant agnoscit in hoc V^ti^ *Nic.* libri loco ubi de ἀκρασίᾳ agitur (1136 b 1 ; Grant, vol. II, p. 135) : libenter enim Eudemus τὴν ἀκρασίαν depinxit. At hic est unus locus, in nostro libro, qui ἀκρασίαν referat : hoc verbo scriptor V^ti^ *Nic.* libri non sæpius utitur quam scriptor librorum I-IV. (V. A, 1095 a 9, 1102 b 14 sqq. ; Δ, 1119 b 31) : nonne idem est auctor qui V. et qui I-IV. libros scripsit ?

3. Cf. ex. gr. : *Nic.* E. 2. 1129 b 3 et *Rhet.* A. 1. 1355 b 4 (V. infra, p. 52. n. 2); *Nic.* E. 3. 1129 b 25 et *Pol.* Δ (H.). 2. 1324 b 5 ; 4. 1326 b 19 (V. p. 11, n. 3) ; *Nic.* E. 3. 1129 b 26 et *Pol.* Γ. 13. 1283 a 38 (V. p. 10, n. 1) ; *Nic.* E. 6. 1131 a 20 et *Pol.* Γ. 9. 1280 a 11 (V. p. 20, n. 2) ; *Nic.* E. 6. 1131 a 26 et *Pol.* Z. (Δ). 8. 1294 a 9 (V. p. 46 n. 1) ; *Nic.* E. 7. 1131 b 29 et *Pol.* Γ. 9. 1280 a 25 (V. p. 60, n. 3) ; *Nic.* E. 8. 1132 b 33 et *Rhet.* B. 9. 1387 b 18 (V. p. 41, n. 6, 7) ; *Nic.* E. 8. 1133 b 21 et *Pol.* A. 9. 1257 b 10 ; *Nic.* E. 10. 1134 a 35 et *Pol.* Γ. 7. 1279 b 6 ; 16. 1287 a 19 ; *Nic.* E. 10. 1134 b 18 et *Rhet.* A. 10. 1368 b 6 ; 13. 1373 b 3 (V. p. 13, n. 5) ; *Nic.* E. 14. 1137 b 12 et *Rhet.* A. 13. 1374 a 25 sqq.

non tribueremus[1] ? Huic Aristotelis libro multa ex *Eudemiis* deprompta eos qui codices nostros scripserunt addidisse concedimus : qui quintum *Nicomacheorum* librum et quartum *Eudemiorum*, quia multa communia inter se præbebant, in unum, ut videtur, redegerunt. Hoc igitur libro si utemur sententias Aristotelis ab Eudemi sententiis discernere necesse erit[2]; sed cum hoc libro ad doctrinam Aristotelis cognoscendam liceat uti, id efficere possumus quod nobis proposuimus.

(V. p. 13, n. 2); *Nic.* E. 14. 1138 a 1 et *Top.* Z. 3. 141 a 16 (V. p. 42, n. 4). Ad hanc congruentiam explanandam Grant finxit (vol. I, p. 52, 64; vol. II, p. 138) Eudemum, cum V. pseudo-*Nic.* scripserit, ex Aristotelis *Pol.*, *Rhet.* ceterisque operibus multa sumpsisse et emendavisse. Quod, operibus Eudemi cognitis, parum verisimile videtur.

1. Aristoteles, cum, in ultimo libro (K. 10. 1179 a 33) summam *Eth. Nic.* breviter comprehendit, justitiam omittere videtur : hoc argumento Grant utitur (vol. I, p. 50) ut V. librum Eudemo tribuat. At Aristoteles (*loc. cit.*) « virtutes » memorat inter quas justitia numerari potest : hoc loco neque fortitudinem neque liberalitatem nominat : quis tamen negat III. et IV. *Nic.* libros ab Aristotele scriptos esse ?

2. Hoc eo facilius erit quod eruditi viri, inter quos Susemihlium laudare oportet, cum *Eth. Nic.* ediderunt, omnia quæ ex Eudemo sumpta esse existimaverant uncis secluserunt (V. 1. 1129 a 10-26 ; 5. 1130 b 6-29 ; 10. 1135 a 16-1136 a 9 ; 11-13. 1136 a 10-1137 a 30 ; 15. 1138 a 3-b 13).

CAPUT PRIMUM

DE PRINCIPIO JURIS

De principio potius quam de natura juris, Aristotelis ætate, inquiritur. Species justitiæ enumerare philosophi flocci faciunt, sed a quo fonte juris ortum repetant certare solent. Aristoteli vero illi quem nunquam definitiones nisi causam rerum exponerent juvabant [1], cur molestum fuisset a principio ad essentiam juris procedere ? Ergo a principio incipiamus.

Divinum fuisse juris ortum plerique Græcorum censuerunt ; et quia divinam ideo naturalem esse justitiam : nempe a diis in humana natura insitam : quare ab iis qui justitiam contemnere soleant divinam iram excitari. Cui sententiæ non solum poetæ, sicut Homerus vel Hesiodus vel Sophocles [2], sed politici viri, sicut Thucydides et Demosthenes [3] adsenserunt. Ipse Solon apud quem, ut ait Perrot [4], « laicus quidam spiritus » divino prævalet, divinas pœnas injustis hominibus minitatur : neque aliter Plutarchus aut J. de Maistre de sera

1. *De Anima,* B, 2. 413 a 13.
2. Horum versus de hac re collegit Thonissen : *Le droit pénal de la République athénienne*, p. 11. Cf. p. 30. Vide etiam Zeller, *op. cit.*, I, p. 92.
3. Thonissen, *loc. laud.* — Cf. p. 68, 69.
4. *Essai sur le droit public d'Athènes,* p. 129, 135.

numinis vindicta loquentur[1]. Et philosophi divinam esse justitiam declarant : nonne Heraclitus scripsit : τρέφονται πάντες οἱ ἀνθρώπινοι νόμοι ὑπὸ ἑνὸς τοῦ θείου[2] ? nonne Plato ab humana veram scilicet divinam æquitatem secrevit[3] ? nonne Platoni pœnæ sacra scelerum piacula esse videntur[4] ? Imo, nisi Plato falsam imaginem depinxerit, ille Protagoras qui de diis quidquam dicere noluerat, a diis justitiam hominibus datam esse narravit[5]. Adeo Græci crediderunt jus arbitrio deorum institutum esse !

Hominum tamen arbitrio jus institui sophistæ contendunt. Quod si justitia in mente nostra natura insita esset, eadem esset omnibus. Imo τὰ δίκαια (quæ cum scripsit Aristoteles nonne sophistarum argumenta breviter retulit ?) τοσαύτην ἔχει διαφορὰν καὶ πλάνην ὥστε δοκεῖν νόμῳ μόνον εἶναι, φύσει δὲ μή[6]. A lege igitur ducendum est exordium juris : quod jussum, id justum. Quid vero jubetur ? Tum potentiores viri humiliores mandatis suis parere cogunt[7], tum vero humiliores inter se societatem faciunt ne potentioribus parere cogantur[8] ; tum leo lepora devorat, tum lepora dentes leonis limant : hæc est hominum, illa naturæ justitia. Vulgus naturæ legem injustitiam vocat, sed nihil aliud est justitia

1. *Poetæ lyrici græci*. Recens. Th. Bergk. Solon, fragm. 13.
2. *Fragmenta philos. græc.* (éd. Mullach), fr. 19. Stob. *Floril.* III, 84.
3. *Leges* VI, 757 b : ... τὴν δὲ ἀληθεστάτην καὶ ἀρίστην ἰσότητα οὐκέτι ῥᾴδιον παντὶ ἰδεῖν. Διὸς γὰρ δὴ κρίσις ἐστί...
4. *Leges* IX, 865 b, c. Cf. Thonissen, *op. cit.*, p. 304, n. 2.
5. *Protagoras*, p. 322 c.
6. *Eth. Nic.* A. 1. 1094 b 15. — Cf. Platonem, *Leges*, X, 889 e.
7. Plato, *Civ.*, I, p. 338 c : φημὶ γὰρ ἐγώ, inquit Thrasymachus, εἶναι τὸ δίκαιον οὐκ ἄλλο τι ἢ τὸ τοῦ κρείττονος ξυμφέρον. Cf. *Leges*, IV, p. 714 c et sq.
8. *Gorgias*, p. 483 b et sqq.

vulgi nisi quædam γενναία εὐήθεια[1]. Attamen, etsi hæc ab illa discrepat, utraque ad utilitatem eorum qui tenent imperium spectat[2]. Nam cum imperant potentiores (quod natura requirit), id justum est quod potentioribus placet; cum vero humiliores, natura neglecta, leges ferunt, id justum est quod humiliores juvat. Sed utique leges ea esse justa fingunt quæ magistratuum utilitati indulgere videntur. Utilitate omnes omnia metiuntur : ea lex quam primum justam propter utilitatem vocabant, nunc injusta, quoniam inutilis, ab iisdem dicitur : οἷα γ᾽ἄν, inquit Protagoras, ἑκάστῃ πόλει δίκαια καὶ καλὰ δοκῇ ταῦτα καὶ εἶναι αὐτῇ ἕως ἂν αὐτὰ νομίζῃ[3]. Nihil natura nisi utilitatem commendat. Jus autem, nedum natura instituatur, naturæ plerumque repugnat[4]. Dii denique, nedum hominibus leges præscribant, ab hominibus, ut auctoritatem legum firment, finguntur[5]. Ita fit ut ea quæ vulgo justitia vocatur neque naturalis sit neque divina.

Stirpem justitiæ cum a diis alii, alii a legibus, Socrates non solum a legibus sed etiam a diis repetit. Sophistis enim concedit jus quoddam legibus institui : idem enim apud Socratem τὸ δίκαιον et τὸ νόμιμον significant[6]. Leges vero, ut sophistis videtur, arbitrio suo cives ferunt. Sed leges hominum hominibus contemnendas esse Socrates negat : nam leges ipsius quem innocentem opprimunt utilitati tantum

1. *Civ.*, I, p. 348 d.

2. *Id.*, I, p. 339 a : τὸ τῆς καθεστηκυίας ἀρχῆς ξυμφέρον. Cf. *Leges*, loco laudato.

3. Apud Platonem, *Theæt.*, 167 c.

4. Hippias, apud Platonem, *Protagoras*, 337 d : ὁ δὲ νόμος, τύραννος ὢν τῶν ἀνθρώπων, πολλὰ παρὰ τὴν φύσιν βιάζεται. Cf. Aristotelem, *Soph. El.*, c. 12, p. 173 a 7 : Callicles in Gorgia ait ἐναντία εἶναι φύσιν καὶ νόμον...

5. *Leges*, X, 889 e.

6. *Mem.*, IV, 4, § 12 : φημὶ γὰρ ἐγὼ τὸ νόμιμον δίκαιον εἶναι.

indulgent ut vix injustæ dici possint. Ædificium justitiæ, etiamsi nullo alio fundamento niteretur, non rueret. Alterum tamen hoc est juris principium : sunt, præter humanas, quædam omnibus civitatibus communes leges quas, quamvis non scripserit, tulit tamen deus[1]. Duplici igitur e stirpe, humana scilicet et divina, justitia oritur.

Nemo post Socratem, Xenophonte[2] tamen excepto, justitiam et legibus humanis et legibus divinis institutam esse censuit. Sed plerique cum sententiam sophistarum neque omnino veram neque omnino falsam fuisse suspicarentur, justitiam ex ortu divino emanavisse negaverunt, justitiæ vero maximam auctoritatem tribuerunt. Democritus enim quo pacto eas leges contemneret quas utiles et necessarias esse agnoscit[3]? sed quo pacto, cum apud eum nihil divina voluntate fiat, divina voluntate jus factum esse diceret? Antisthenes autem, ut sophistæ, sic leges hominum plerumque naturæ repugnare existimat : nonne invita natura lex homines hominibus inservire jubet? ubi civitatem illam cernere possumus cujus leges jus naturale imitentur? Quod non his, ut sophistæ docebant, qui maximam potentiam, sed illis qui maximam virtutem comparaverunt favet[4]. Et quia virtute jus illud naturale nititur, quid opus est divino quodam principio? — Neque divinam neque falsam sed naturalem esse justitiam Democritus et Antisthenes dixisse videntur.

1. *Mem.*, IV, 4, § 19-25.
2. *Cyrop.*, I, 3, 17.
3. *Fragm. philos. græc.*, ed. Mullach. — Democr. fragm. moral. : fr. 197 ; cf. 189, etc.
4. Diog. Laert., VI, 1, 11 : τὸν σοφὸν οὐ κατὰ τοὺς κειμένους νόμους πολιτεύσεσθαι, ἀλλὰ κατὰ τὸν τῆς ἀρετῆς.

Quam sententiam apud Democritum et Antisthenem quasi inclusam, apud Aristotelem explicatam invenimus. Iis tamen qui leviter *Ethica Nicomachea* legerent Aristoteles opinioni sophistarum assensus esse videretur. Nam justitiam generalem ita definivit ut nullam vim haberet nisi legibus commendaretur. Per justitiam enim omnem intelligit virtutem quatenus ad ceteros homines spectat[1]. Hæc vero sine legibus non vigeret. Leges enim jubent ut omnes virtutes colamus, vel potius ut omnes virtutes ad utilitatem ceterorum civium vertamus. Non solum justitiam, sed temperantiam, fortitudinem, benignitatem leges præscribunt : προστάττει δ' ὁ νόμος καὶ τὰ τοῦ ἀνδρείου ἔργα ποιεῖν... καὶ τὰ τοῦ σώφρονος... καὶ τὰ τοῦ πράου... ὁμοίως δὲ καὶ τὰ κατὰ τὰς ἄλλας ἀρετὰς καὶ μοχθηρίας τὰ μὲν κελεύων τὰ δ'ἀπαγορεύων[2]. Quemadmodum omnia quæ leges facienda jubent quodam sensu justa sunt (δῆλον ὅτι πάντα τὰ νόμιμά ἐστίν πως δίκαια), ita rursus leges ad omnia quæ facere possumus pertinent (οἱ δὲ νόμοι ἀγορεύουσι περὶ ἁπάντων)[3] : nihil ergo justum est quod legibus non sit præscriptum, atque omnia quæ legibus præscribuntur justa sunt. Justitia generalis usque quo lex, lex vero usque quo justitia se extendit : nonne principium justitiæ in legibus

1. *Eth. Nic.* E. 3. 1129 b 25-27 ; 1130 a 3. Cf. *Pol.* Γ. 13. 1283 a 38.

2. *Eth. Nic.* E. 3. 1129 b 19-24. Ramsauer (Ar. Eth. Nic., p. 290) Aristotelem reprehendit quod « inductione imperfecta demonstratur » id quod sibi proposuerat. « An revera, inquit, Aristoteles lege vult juberi homines liberales esse...? Num νόμιμον putaverit esse ut τοῦ καλοῦ ἕνεκα quæque perficiantur...? » — At Aristoteles monuit justitiam οὐχ ἁπλῶς virtutem esse, sed πρὸς ἕτερον virtutem : lex ergo non τοῦ καλοῦ ἕνεκα sed τοῦ ἑτέρου ἕνεκα quæque perficere jubet. Quod ad liberalitatem pertinet, eam νόμῳ juberi ideo vult Aristoteles quia per hoc verbum (νόμος) non solum leges sed mores intelligit. Cf. Stewart, *Notes on the Nicomachean Ethics*, vol. I, p. 389.

3. *Eth. Nic.* E. 3. 1129 b 12-14.

positum esse patet? Et quia generalis ideo particularis justitia (ἡ ἐν μέρει ἀρετῆς δικαιοσύνη[1]) a legibus pendet.

Quam sententiam ab Aristotele probatam esse qui crederet, is omnino erraret. Nam legem a jure naturali philosophus noster ita secrevit ut inter pravas rerum definitiones eam numeraverit quæ legem definiat tanquam mensuram vel imaginem eorum quæ natura justa sint (ὁ νόμος μέτρον ἢ εἰκὼν τῶν φύσει δικαίων[2]). Etenim si leges justitiam instituant, rursus qua ratione leges instituuntur? Recte aliæ, aliæ vero perperam: illas enim prudenter, has temere cives vel magistratus ferunt; unde fit ut leges tum justæ tum injustæ sint: ὁ νόμος τὰ μὲν κελεύει τὰ δ'ἀπαγορεύει ὀρθῶς μὲν ὁ κείμενος ὀρθῶς, χεῖρον δ' ὁ ἀπεσχεδιασμένος[3]. Cur vero lex temere lata sæpius injusta esse videtur quam lex prudenter proposita nisi quia nemo curavit ne juri repugnaret? Ergo, antequam ferantur leges[4], jus est quoddam quo legibus auctoritatem imponimus[5]. — Quod jus non solum antequam leges sed an-

1. *Eth. Nic*, E. 4. 1130 a 14.

2. *Top.*, Z. 2. 140 a 7. Jure D. Thom. Aqu. (*Eth.*, V, lect. XII, § c) dicit jus legale a justo naturali non ita oriri ut conclusionem ex præmissis, sed « per modum determinationis ». Quamobrem leges a jure naturali sæpe discrepant: nam homines sæpe jus naturale prave « determinant » et illas quas Aristoteles vocat παρεκβάσεις πολιτειῶν condunt. Cf. Bradley, *Die Staatslehre des Ar.*, übers. v. Imelmann, p. 67. Hoc jus legale quod jus naturale fideliter exprimit Aristoteles ἁπλῶς δίκαιον vocat; sed jus sæpius fertur καθ' ὑπόθεσιν quam ἁπλῶς.

3. *Eth. Nic.* E. 3. 1129 b 25. Cf. *Pol.* Δ (H). 2. 1324 b 5: τῶν πλείστων νομίμων χύδην ὡς εἰπεῖν κειμένων παρὰ τοῖς πλείστοις..., et *ibid.*, 4. 1326 b 19: περὶ τὰς ἀρχὰς καὶ τὰς κρίσεις .. οὐ δίκαιον αὐτοσχεδιάζειν.

4. Noli intelligere Aristotelem hoc finxisse quod recentiores philosophi « état de nature » vocaverunt.

5. Notandum est leges pactis vim conferre: *Rhet.* A. 15. 1376 b 7 sqq.: ἡ γὰρ συνθήκη νόμος ἐστὶν ἴδιος καὶ κατὰ μέρος.. καὶ ὅλως αὐτὸς ὁ νόμος συνθήκη τις ἐστίν, ὥστε ὅς τις ἀπιστεῖ ἢ ἀναιρεῖ συνθήκην, τοὺς νόμους

tequam civitates condantur viget. Ut enim leges ita civitates tum recte tum pessime constituuntur quarum leges tum justæ tum injustæ sunt: δῆλον ὅτι τοὺς μὲν κατὰ τὰς ὀρθὰς πολιτείας ἀναγκαῖον εἶναι δικαίους, τοὺς δὲ κατὰ τὰς παρεκβεβηκυίας οὐ δικαίους[1]. Nulla lex, nisi civitate constituta, scribitur; nulla lege igitur ad civitatem constituendam conditores urbis utuntur; qui, cum justitiæ tamen mandata exsequi volunt, justitiam quamdam agnoscunt quæ legibus antiquior est. Leges igitur ortum a naturali justitia petunt.

Legibus institutis, hoc naturali jure, ut leges interpretemur uti debemus. Tanta est enim rei difficultas vel mentis nostræ imbecillitas ut leges nostræ vitiis multis deformentur. Primum, cum nulla lex ad universum non spectat, variæ cujusquam generis lites arbitrio judicum dirimuntur. ὁ μὲν νόμος καθόλου πᾶς, περὶ ἐνίων δὲ οὐχ οἷόν τε ὀρθῶς εἰπεῖν καθόλου[2]. Exempli gratia, lex quædam pœnis severis eos multat qui ferreis armis hominem feriunt, sed omnia ferrea arma lex numerare nequit: si quis igitur ferreo annulo hostem verberaverit, hocne facinus lege nostra castigabitur? κατὰ μὲν τὸ γεγραμμένον νόμον ἔνοχος ἔσται καὶ ἀδικεῖ, κατὰ δὲ τὸ ἀληθὲς οὐκ ἀδικεῖ[3]. Deinde etiamsi omnes species is qui legem tulerit prævidere voluerit, nonne quasdam oblivisci potuit[4]? Adde

ἀναιρεῖ. Itaque huic Trendelenburgi opinioni adsentiri non possumus cui Aristoteles tacere videtur quo modo pacta recte conficiantur (*Hist. Beitr. z. Phil*, vol. III. p. 405). Non errat Trendelenburg cum scribit hanc juris partem neque ad jus distributivum neque ad jus correctivum pertinere, sed omittit eam apud Aristotelem a jure legali pendere. Itaque, ut leges ita pacta justitiam servant cum ὀρθῶς, perrumpunt autem cum χεῖρον feruntur.

1. Pol. Γ. 11. 1282 b 11-13.
2. *Eth. Nic.* E. 14. 1137 b 13.
3. *Rhet.* A. 13. 1374 a 36.
4. *Rhet.*, A. 13. 1374 a 29.

quod homines quotidie nova scelerum genera admittunt, prisca amittunt: ita ut leges quædam senescant: judices ergo dubitant antiquis an recentibus legibus parere debeant. Denique antiquæ et recentes leges inter se ita discrepant [1] ut judices æquitati potius quam legibus indulgere cogantur. Quid autem per æquitatem intelligimus? quid est jus illud quo vitia legum emendantur? Illud δίκαιον... ἐπανόρθωμα νομίμου δικαίου vel βέλτιόν τινος δικαίου [2], jus illud jure justius nihil aliud est nisi jus naturale.

Juris naturalis hoc est tertium officium justitiam tum dicere cum leges silent. Leges enim ultra fines cujusque civitatis nullam vim habent : homines tamen nexu juris quodam conjunguntur etiamsi nulla sit inter eos civilis societas (κἂν μηδεμία κοινωνία πρὸς ἀλλήλους ᾖ μηδὲ συνθήκη) [3]. Quid est ergo jus illud, omnibus civitatibus commune (πανταχοῦ τὴν αὐτὴν ἔχον δύναμιν) [4], nisi jus quod naturale vocatur (λέγω δὲ νόμον τὸν μὲν ἴδιον τὸν δὲ κοινόν..., κοινὸν δὲ τὸν κατὰ φύσιν) [5]? Cujus juris mandata quædam Empedocles et Sophocles jam retulerunt : nam alter naturam vetare ne animalia occidamus, alter naturam jubere ut homines sepeliamus docet.

1. *Rhet.*, A. 15. 1375 b 8 sqq.

2. *Eth. Nic.*, E. 14. 1137 b 12, 24, 26. Cf. *Rhet.*, A. 13. 1374 a 25 : τοῦ ἰδίου νόμου καὶ γεγραμμένου ἔλλειμμα (τὸ ἐπιεικές), — τὸ παρὰ τὸν γεγραμμένον νόμον δίκαιον (*ibid* , 27).

3. *Rhet.* A. 13. 1373 b 8.

4. *Eth. Nic.* E. 10. 1134 b 19.

5. *Rhet.* A. 13. 1373 b 4 sqq. Cf. *ibid.*, 10. 1368 b 7 ; *Eth. Nic.* E. 10. 1134 b 18 : τοῦ δὲ πολιτικοῦ δικαίου τὸ μὲν φυσικόν ἐστι τὸ δὲ νομικόν. De « civili » jure hic Aristoteles agit, sed idem de omni jure dicere posset. Nam cum : ἄδικον μὲν γάρ ἐστιν τῇ φύσει ἢ τάξει scripserit (*ibid.*, 1135 a 10), hæc non solum ad πολιτικὸν ἄδικον sed ad omne ἄδικον pertinere videntur. Nec solum ad πολιτικὸν δίκαιον sed ad omne δίκαιον respiciunt ii loci quos ex *Arte Rhetorica* supra deprompsimus.

Sed his exemplis Aristoteles alia quoque addidit: nam cum leges (sive τὸ νομικὸν δίκαιον) sacra cujusque civitatis propria constituunt, jus naturale (τὸ φυσικὸν δίκαιον) deos coli jubet. — At illam universam legem natura latam esse sophistæ[1] negant : per naturalia enim ea intelligimus quæ semper et ubique eadem manent : ignis natura urit quia ut apud Athenienses sic apud Persas urit ; sed quid apud Persas non aliter atque apud Athenienses jure vetatur vel jubetur[2]? — Respondet Aristoteles inter ea quæ naturalia vocantur nonnulla esse mutabilia : natura enim dextra manus valentior est sinistra : atqui evenire potest ut aliqui sinistra perinde ac dextra utantur[3]. Naturalia sunt non solum quæ semper sed etiam quæ plerumque fiunt[4]. Quod si igitur plerique homines aliquid juberi vel vetari censeant, id jure naturali jubetur vel vetatur. — Sic (ut breviter omnia comprehendamus) ad leges condendas vel ad vitia legum emendanda vel etiam ad vices legum explendas jure naturali opus esse Aristoteles existimat.

Quid vero per naturam vel jus naturale Aristoteles intellexit ? Nonne natura illa quæ jus instituit Dei est natura ? Nonnulli enim, cum *Ethica Nicomachea* explanant, Aristotelem a Deo jus naturale exhausisse dicunt[5]. Michelet,

1. Vel, si D. Thom. Aquin. credas, cyrenaici (*Eth. Nic.* V. Lectio XII, § d).

2. *Eth. Nic.* E. 10. 1134 b 24.

3. *Ibid.*, 34.

4. Fechner tamen sententiam Aristotelis mutare videtur cum scribit unum et idem esse « Naturrecht » et « Gewohnheitsrecht » (*Ueber den Gerechtigkeitsbegriff des Ar.*, p. 48). Nam cum jus naturæ commune sit multis civitatibus, jus consuetudinis proprium est cujusque.

5. V. ex. gr.: T. Labriola, *Revisione critica delle più recenti teorie su le origini del diritto* (Roma, 1901), p. 30 : « Socrate, Platone ed

exempli gratia, postquam apud Aristotelem legit « quædam jura naturalia non esse sed humana » (τὰ μὴ φυσικὰ ἀλλ' ἀνθρώπινα δίκαια... [1]), hanc interpretationem scripsit : « Hic ipse Aristoteles declarat quid velit intelligi cum dicit jus divinum ; cum enim humana jura sint non naturalia, naturalia sequitur ut sint divina, etiamsi ab hominibus possint perverti [2]. » At ubi Aristoteles « jus divinum » dixit ? Naturalia hæc jura vocat quæ secundum naturam, humana illa quæ ex libidine hominum instituuntur ; sed de divino quodam jure nihil scripsit. Imo quæ de rebus divinis apud Aristotelem legimus ea nos impediunt quin Michelet sequamur. Nam nihil in rebus divinis mutatur ; omnia æterna manent [3] : naturalia autem jura, etsi plerumque immutata reperiuntur, æterna dici non possunt : ergo inter divina non numerantur.

Hoc idem alio quodam Aristotelis loco, quem Michelet laudare potuisset, demonstrabimus. Scripsit enim philosophus noster : ὁ μὲν οὖν τὸν νόμον κελεύων ἄρχειν δοκεῖ κελεύειν τὸν θεόν... [4]. Nonne intelligitis idem apud Aristotelem « legem » et « deum » significare ? Nonne Aristoteles legem a Deo creatam esse censuit ? At integrum locum laudemus : ὁ μὲν οὖν τὸν νόμον κελεύων ἄρχειν δοκεῖ κελεύειν τὸν θεὸν καὶ τὸν νοῦν μονους, ὁ' δ' ἄνθρωπον κελεύων προστίθησι καὶ θηρίον. Atque infra : διόπερ ἄνευ ὀρέξεως νοῦς ὁ νόμος .ἐστίν. Nunc cerni-

Aristotele tengon fermo nel concetto che il diritto, almeno in parte, e di origine divina, e che il diritto messo in essere dallo Stato non sia che un riflesso di quello divino. »

1. *Eth. Nic.* E. 10. 1135 a 3.
2. *Eth. Nic.*, ed. Michelet, vol. II, p. 183.
3. *De Anim. gener.* B. 1. 731 b 24 : ... τὰ μὲν ἀΐδια καὶ θεῖα τῶν ὄντων.
4. *Pol.* Γ. 16. 1287 a 28.

mus cur de deo Aristoteles locutus sit : nam hic deus in mente nostra sedet. Ratione enim ita divinæ naturæ participes sumus ut affectibus naturam animalium imitamur. Id divinum est non solum quod a Deo oritur sed quod ad deum procedit. De justitia Aristoteles idem dicere potuisset ac de felicitate scripsit : εἰ μὲν οὖν καὶ ἄλλο τί ἐστιν θεῶν δώρημα ἀνθρώποις, εὔλογον καὶ τὴν εὐδαιμονίαν θεόσδοτον εἶναι, καὶ μάλιστα τῶν ἀνθρωπίνων ὅσῳ βέλτιστον·... φαίνεται δὲ κἂν εἰ μὴ θεόπεμπτός ἐστιν... τῶν θειοτάτων εἶναι[1]. Sic quoque inter divina, etsi a deo non oriuntur, justitia ratioque numerantur. πάντα γὰρ φύσει ἔχει τι θεῖον[2] : quid vero divinius habemus quam ratio[3]? quid aliud nisi ratio nos ita extollit ut bestiis præstemus ? Hæc est igitur justitia divina (non ortu sed essentia) quæ nostra ratione conditur.

Postremo Aristoteles secum pugnavisset si juri naturali divinum ortum tribuisset. Nam Deus, cum nullam humanam virtutem cognoscere possit[4], quo modo justitiam homines doceret ? Deus, cum nihil creare possit, quo modo jus crearet ? A Deo nihil emanare, ad Deum omnia trahi philosophus noster contendit : quo modo jus a Deo emanavisse credidisset[5] ?

Inter diversas græcorum sapientium opiniones hæc est Aristotelis sententia : neque a lege neque a deo sed a natura atque ratione justitia principium suum ducit.

1. *Eth. Nic.* A. 10. 1099 b 12. Cf. *ibid.*, 12. 1101 b 25.
2. *Eth. Nic.* H. 14. 1153 b 32.
3. *Eth. Nic.* K. 7. 1177 a 16, 1177 b 27.
4. *Eth. Nic.* K. 8. 1178 b 8 et sqq.
5. Cf. Oncken, *Die Staatslehre des Aristoteles*, vol. II, p. 11 et sqq.

CAPUT SECUNDUM

DE JURE NATURALI

Ex primo nostro capite sequitur id natura juberi vel vetari quod ratione juberi vel vetari plerisque hominibus videtur. Quid vero ratione jubetur aut vetatur?

I

Juris naturalis duas species Aristoteles distinxit : distributivam scilicet et correctivam justitiam (τὸ διανεμητικόν et τὸ διορθωτικὸν δίκαιον [1]).

1. *Eth. Nic.* E. 5. 1130 b 31 sqq. Διορθωτικόν latine per « correctivum » reddimus. — Nonnulli scribere solent : « commutativum » (D. Thom. Aqu. *Eth.* V (lect. VII, § a; Ueberweg, *Grundr. d. Gesch. d. Phil.*, § 50, 8. Aufl., v. I, p. 236) : qui, cum intelligunt τὸ ἐν τοῖς συναλλάγμασι διορθωτικόν (1131 a 1) idem significare ac « justitiam in commutationibus directivam » (V. antiquam illam translationem qua Aqu. utitur), hoc verbum διορθωτικόν omittunt : nihil aliud latine dicunt nisi τὸ ἐν τοῖς συναλλάγμασι vel τὸ συναλλακτικὸν δίκαιον (cf. Grotius : *De jure belli ac pacis*, I, 1. 8). Adde quod, ut ait Trendelenburg (*Hist. Beitr. z. Phil.*, v. III, p. 400) : « da diese zweite Art der particularen Gerechtigkeit nicht diejenige ist, welche dem gerechten Vertrage als das Bildungsgesetz zum Grunde liegt, sondern nur die Verletzung eines vorausgesetzten Vertrages, eines vorausgesetzten Rechts bessert so ist der Name συναλλακτική, *justitia commutativa* ... zu weit. » —

Distributiva justitia cives utuntur cum inter se communia dividunt. Quid vero commune habent? Primum divitias (χρήματα) : agros enim habent communes postquam colonias apud Barbaros condiderunt vel terras hostium armis occupaverunt; pecuniam quoque publicam habent postquam tributa vel vectigalia vel multas collegerunt. Deinde honores (τιμήν), magistratus scilicet et imperia cives inter se partiri possunt.

Alii scribunt : « jus æquatorium » (Grotius) vel « ausgleichende Gerechtigkeit » (Zeller, *Die Philos. d. Gr.*, 3e Aufl., 2. Th., 2. Abth., p. 642, Hildenbrand, *Gesch. u. Syst. d. Rechts- u. Staatsphil.*, p. 288 ; Fechner; *Ueber den Gerechtigkeitsbegriff des Ar.*, p. 31 ; Trendelenburg, *loc. cit.*) : quod verbum non solum τὸ διορθωτικόν sed etiam τὸ διανεμητικόν exprimit : nam utraque justitiæ species ad æquitatem spectat. — Alii scribunt : « justum emendativum » (V. translat. Argyropoli qua Thom. Aqu. utitur), vel « justice réparatrice et répressive » (Barthélemy-Saint Hilaire, *La Morale d'Aristote*, v. II, p. 146, n. 1) vel « remedial justice » (Grant, *The Eth. of Ar.*, v. II, p. 112) : qui græcum verbum non solum in latinam linguam vertunt sed explicant : mox autem demonstrabimus illam interpretationem falsam esse ; nunc satis est si intelligamus per hoc verbum (διορθωτικόν) neque emendationem neque coercitionem neque curationem quamdam exprimi. — Eodem argumento rejicimus quartam illam translationem : « justice compensative » (Janet, *Hist. de la Sc. pol...*, v. I, p. 181 ; idem significat : ausgleichende Gerechtigkeit) : hoc verbo explicatur potius quam redditur τὸ διορθωτικόν. — Idem de his verbis : « justitia expletrix », quæ Grotius proposuit dicemus. — Alii scribunt : « justice régulatrice » (Dareste, *La Science du droit en Grèce*, p. 208 ; cf. Fechner, *loc. cit.*) : qui etsi verbum verbo reddere videntur (nam ὀρθόν et « rectum » eumdem sensum præbent) ideo tamen peccant quia non solum τὸ διορθωτικόν sed etiam τὸ διανεμητικὸν δίκαιον vitam humanam « regit ». — Itaque sequimur illos interpretes qui scribunt : « justice corrective » (Janet, *loc. cit.* ; Ravaisson, *Essai sur la Métaph. d'Ar.*, v. I, p. 470 ; Grant, *op. cit.*, v. II, p. 112 ; Michelet, *Eth. Nic.*, Ind. capit.) vel : « richtende Gerechtigkeit » (Fechner, *op. cit.*, p. 63). Gallice vero optima translatio nobis videtur esse « justice rectificatrice ». « Justice restitutive » sensum explicaret sed verbum διορθωτικόν non redderet.

In medio denique ponuntur omnia quibus civitas vitam civium (σωτηρίαν) tuetur[1]. Quæ omnia qua ratione justum est inter homines dividi?

Alii singulis hominibus parem communium bonorum partem, alii diversis diversam tribuendam esse putant, sed omnes partem cujusque pro cujusque dignitate constituendam esse consentiunt : τὸ γὰρ δίκαιον ἐν ταῖς διανομαῖς ὁμολογοῦσι πάντες κατ' ἀξίαν τινὰ δεῖν εἶναι[2]. Ergo, cum id jus naturale sit quod omnes fere agnoscant, natura jubet ut quanto quisque dignus sit, tantum is habeat. Sint, exempli gratia, duo cives qui, inter se collati, eam rationem habent quam α ad β : jubet jus distributivum ut bona illius (γ) cum bonis hujus (δ) collata eamdem rationem præbeant : ἔστι δὲ καὶ τὸ δίκαιον ἐν τέτταρσιν ἐλαχίστοις, καὶ ὁ λόγος ὁ αὐτός· διῄρηνται γὰρ ὁμοίως, οἷς τε καὶ ἅ. ἔσται ἄρα ὡς ὁ α ὅρος πρὸς τὸν β, οὕτως ὁ γ πρὸς τὸν δ, καὶ ἐναλλὰξ ἄρα, ὡς ὁ α πρὸς τὸν γ, ὁ β πρὸς τὸν δ. ὥστε καὶ τὸ ὅλον πρὸς τὸ ὅλον[3]. Sic scribere possumus :

$$\frac{\alpha}{\beta} = \frac{\gamma}{\delta}$$

vel $\frac{\alpha}{\gamma} = \frac{\beta}{\delta}$, vel etiam $\frac{\alpha+\beta}{\gamma+\delta} = \frac{\alpha}{\gamma}$ vel denique $\frac{\alpha+\beta}{\alpha} = \frac{\gamma+\delta}{\gamma}$.

Quod numeris positis clarius patet. Nam cum $\frac{1}{2} = \frac{4}{8}$, tum

1. Ea quæ dividuntur inter cives Aristoteles breviter enumeravit primum cum injustitiam a ceteris vitiis secrevit : injustum est enim omne malum quod περὶ τιμὴν ἢ χρήματα ἢ σωτηρίαν agitur (*Eth. Nic.* E. 4. 1130 b 2); deinde, brevius etiam, cum justitiam distributivam ita definivit ut ad divitias et honores spectaret : τὸ ἐν ταῖς διανομαῖς τιμῆς ἢ χρημάτων [δίκαιον] κ. τ. λ. (*ibid.*, 5. 1130 b 31).

2. *Eth. Nic.* E 5. 1131. a 25.

3. *Eth. Nic.* E. 6. 1131 b 3 sqq.

$\frac{1}{4}=\frac{2}{8}, \frac{1+2}{4+8}=\frac{1}{4}$, denique $\frac{1+2}{1}=\frac{4+8}{4}$. Vel si malis: sint α et β duo cives; sit γ pars quæ alteri (α) tribuatur: quærimus quæ pars (δ) alteri (β) tribuenda sit. Principium juris distributivi ponamus:

$$\frac{\alpha}{\beta}=\frac{\gamma}{\delta}.$$

Ex quo: $\alpha \times \delta = \beta \times \gamma$.

Ergo, $$\delta = \frac{\beta \times \gamma}{\alpha}.$$

Quod si contra α (vel β) plus accepisset quam debitum, γ cum δ collatum majorem (vel minorem) rationem haberet quam α cum β:

$$\frac{\alpha}{\beta}<\frac{\gamma}{\delta} \quad \text{vel} \quad \frac{\alpha}{\beta}>\frac{\gamma}{\delta}$$

$$\frac{1}{2}<\frac{5}{8} \quad \text{vel} \quad \frac{1}{2}>\frac{4}{9}.$$

Nihil aliud est injustitia nisi inæqualitas: ὁ μὲν γὰρ ἀδικῶν πλέον ἔχει, ὁ δ᾽ ἀδικούμενος ἔλαττον τοῦ ἀγαθοῦ [1]. Noli intelligere justitia juberi omnes omnium partes æquales esse: æquales enim partes esse tum justitia jubet cum æquales sunt ii inter quos communia dividuntur; sed impares imparibus viris partes tribui eadem justitia jubet. Rursus scribamus $\frac{\alpha}{\beta}=\frac{\gamma}{\delta}$. Quod idem valet seu $\alpha=\beta$ (et $\gamma=\delta$), seu $\alpha >$ aut $< \beta$ (et $\gamma >$ aut $< \delta$): καὶ ἡ αὐτὴ ἔσται ἰσότης οἷς καὶ ἐν οἷς· ὡς γὰρ ἐκεῖνα ἔχει, οὕτω κἀκεῖνα ἔχει· εἰ γὰρ μὴ ἴσοι, οὐκ ἴσα ἕξουσιν... [2]. Jus

1. *Eth. Nic.* E. 7. 1131 b 19.

2. *Eth. Nic.* E. 6. 1131 a 20. Cf. *Pol.* Γ. 9. 1280 a 11 : *οἷον δοκεῖ ἴσον τὸ δίκαιον εἶναι, καὶ ἔστιν, ἀλλ᾽ οὐ πᾶσιν ἀλλὰ τοῖς ἴσοις...* Cf. Plato, *Leges*, VI, 757 b, ubi vera quædam æquitas juris distributivi a falsa secer-

distributivum per proportionem quamdam exprimitur : τὸ δίκαιον ἀνάλογον, inquit Aristoteles, et infra : τὸ δὲ ἄδικον τὸ παρὰ τὸ ἀνάλογον[1].

Hanc proportionem geometricam mathematici vocant. Quid vero per geometricam proportionem intelligere debemus? « Viri harum rerum periti, inquit Ramsauer[2], autumant » hanc proportionem ideo geometricam vocatam esse quia « ab Euclide geometrico » proportiones descriptas esse. Hi proportionis illius nomen, non naturam explanant. Nec satis placet ea quam ipse Aristoteles scripsit definitio : ἐν γὰρ τῇ γεωμετρικῇ συμβαίνει καὶ τὸ ὅλον ὅπερ ἑκάτερον πρὸς ἑκάτερον $\left(\text{ut } \frac{1}{2} = \frac{4}{8}, \text{ ita } \frac{1+4}{2+8} = \frac{1}{2}\right)$. Hoc quidem de geometrica proportione verum est atque de arithmetica falsum. Sed accidens quoddam potius quam essentia geometricæ proportionis sic exprimitur. Ideo geometricam hanc proportionem vocari putamus quod geometrica quædam figura eam optime ante oculos ponit. Nam hæc ratio æqualitatem numerorum (ἰσότης λόγων[3]) per divisionem vel multiplicationem effectorum enuntiat: sic, exempli gratia, $\frac{1}{2} = \frac{4}{8}$, vel, quod idem est, $1 \times 8 = 2 \times 4$. Græci autem mathematici multiplicationem per orthogoniam quamdam figuram significant cujus quamque lineam quisque numerus multiplicatus metitur.


nitur : hunc enim locum non ita interpretamur ut Plato jus correctivum a distributivo secrevisse videatur.

1. *Ibid.*, 7. 1131 b 12-17. Dubium est utrum Aristoteles similem Ps-Archytæ sententiam cognoverit annon (v. Müllach, Fragm. phil. gr., vol. I, p. 560).

2. *Eth. Nic.*, ed. Ramsauer, p. 307.

3. *Eth. Nic.* E. 6. 1131 a 31.

Sic figuratur 2×4:



Quam figuram nobis intuentibus manifestum est

$$\frac{acln}{acln + cenp} = \frac{abfg + bcgh + fglm + ghmn}{abfg + bcgh + fglm + ghmn + cdhi + deik + hino + ikop}$$

$$\text{vel } \frac{1}{2} = \frac{4}{8}.$$

Ergo per geometricam rationem intelligamus eam rationem cujus veritas per figuram quamdam geometricam facile demonstratur.

Hanc proportionem discretam esse Aristoteles addit (ἔστιν δ' οὐ συνεχὴς αὕτη ἡ ἀναλογία)[1]. Discreta vocatur ea quæ distinctis numeris constituitur : sic, exempli gratia : $\frac{1}{2} = \frac{4}{8}$. Continens autem ea quæ duo numeros æquales comprehendit : $\frac{1}{2} = \frac{2}{4}$. Sed in nostra juris distributivi proportione $\frac{\alpha}{\beta} = \frac{\gamma}{\delta}$ pone $\beta = \gamma$: quoniam β virum, γ vero bona signi-

1. *Eth. Nic.* E. 6. 1131 b 15.

ficat, non possumus β et γ non discernere : οὐ γὰρ γίνεται εἷς ἀριθμῷ ὅρος, ᾧ καὶ δ'[1]. Per discretam igitur proportionem geometricam justitia distributiva exprimitur.

Justitiæ correctivæ mathematicam, ut ita dicam, imaginem proportio quædam arithmetica reddit. Postquam enim quisque civis partem suam bonorum communium accepit, illa bona volens nolens amittere potest : justum est igitur ab hoc cive vel illa ipsa bona vel paria recuperari ; justum est hunc civem vel illa ipsa bona vel paria ex illo repetere qui ea, sive emptione sive fraude, clam aut palam, sumpserit Hæc enim inter homines sunt commercia[2] non solum ut alter alteri sponte sua rem quamdam vendat vel commodet sed etiam ut alter ex alterius bonis partem quamdam vi aut dolo detrahat : τῶν γὰρ συναλλαγμάτων τὰ μὲν ἑκούσιά ἐστιν τὰ δὲ ἀκούσια, ἑκούσια μὲν τὰ τοιάδε οἷον πρᾶσις ὠνὴ δανεισμὸς ἐγγύη χρῆσις παρακαταθήκη μίσθωσις..., τῶν δὲ ἀκουσίων τὰ μὲν λαθραῖα, οἷον κλοπὴ μοιχεία φαρμακεία προαγωγεία δουλαπατία δολοφονία ψευδομαρτυρία, τὰ δὲ βίαια, οἷον αἰκία δεσμὸς θάνατος ἁρπαγὴ πήρωσις κακηγορία προπηλακισμός[3]. Sed omnibus his « obligationibus »

1. *Nic. loc. cit.* Cf. D. Th. *Eth.* V. L. V, § e : « Ista proportionalitas non potest esse continua quia ex una parte sunt res et ex alia parte sunt personæ. Et ita non potest accipi aliquid quasi terminus communis, quæ sit persona cui datur, et res quæ datur. » Cf. Fechner, *op. cit.*, p. 43.

2. Gallice : « relations. » Vel si verbis jurisconsultorum utamur : « obligations ». Nam cum plerique interpretes συναλλάγματα per « commutationes » (V. D. Thom. ad h. loc.) vel etiam per « transactions » (Ravaisson, *op. cit.*, v. I, p. 470) reddunt, corpus integrum juris correctivi comprehendere nequeunt : omittunt enim τὰ ἀκούσια συναλλάγματα.

3. *Eth. Nic.* E. 5. 1131 a 2-9. Cf. Dareste, *La Science du droit en Grèce*, p. 208 : « Le philosophe distingue deux sortes de justice, à savoir la *justice distributive* qui préside à la répartition, égale ou

(συναλλάγμασιν) idem principium constituitur : do ut des, vel si sumpseris redde. Primum exemplum a « contractibus » sumamus. Antequam alter alteri bonum quoddam vendat, pone bona utriusque æqualia esse : si res alterius per α, alterius res per β designetur, scribere possumus : $\alpha = \beta$. Nam etsi alter altero ditior est, æqualem quamdam utriusque rei partem nobis considerare licet (χρῆται ὡς ἴσοις[1]). Nunc autem venditor emptori merces suas (γ) tradit. Tum illius rem per $\alpha - \gamma$, hujus autem rem per $\beta + \gamma$ significare oportet. Jubet ergo jus correctivum illi ab hoc pretium dari quod tanti valeat quanti merces venditæ. Alterum exemplum e « delictis » petamus. Si res ejus qui injuriam fecit et ejus qui injuriam passus est æquales ante scelus habuerimus ($\alpha = \beta$), post furtum scribere poterimus alterum $\alpha - \gamma$, alterum $\beta + \gamma$ possidere. Jubet igitur jus correctivum hunc illi γ reddere. De quo laudandus est Ramsauer : « Id igitur istud justitiæ genus, inquit, propositum habet ut tueatur ipsas res quales sunt reparandoque male mutatas restituat[2].» Quæ cum scripsit nihil aliud nisi Aristotelis verba in latinum vertit : justum est, ait Aristoteles, τὸ ἴσον ἔχειν καὶ πρότερον καὶ ὕστερον[3].

inégale, des honneurs et des richesses entre les membres de la Cité et la *justice régulatrice* qui détermine les effets des obligations (συναλλάγματα). Les obligations sont volontaires ou involontaires, division qui correspond à la division romaine : *ex contractu* ou *ex delicto* ». V. etiam p. 209, n. 1 : « συνάλλαγμα se traduit par *obligation* (Ulpien, Dig., l. 7, de Pactis II, 14) ». « L'énumération des contrats et des délits donnée par Aristote est loin d'être complète. D'autre part, le délit de προπηλακισμός ne se rencontre nulle part ailleurs. » Cf. Beauchet, *Hist. du droit privé de la République athénienne*, v. IV, p. 10, n. 2.

1. *Eth. Nic.* E. 7. 1132 a 5.
2. Ar. *Eth. Nic.*, ed. Ramsauer, p. 310.
3. *Eth. Nic.* E. 7. 1132 b 19.

Primum $\alpha = \beta$ (sive $5 = 5$) ;
deinde $\alpha' = \alpha - \gamma$ (sive : $4 = 5 - 1$) ;
$\beta' = \beta + \gamma$ (sive : $6 = 5 + 1$).

Ita ut α', α (vel β), β' terminos proportionis cujusdam arithmeticæ continentis constituant :

$$\beta' - \beta \text{ (vel } \alpha) = \alpha \text{ (vel } \beta) - \alpha' \text{ (sive : } 6 - 5 = 5 - 4).$$

Postremo res mutatæ restituendæ sunt : quod fieri potest cum, β' et α' sumptis, inquiramus inter β' et α' medium quemdam numerum (α vel β) :


$$\beta' - \alpha = \alpha - \alpha'$$

Ergo $$2\alpha = \beta' + \alpha'$$

atque $$\alpha = \frac{\beta' + \alpha'}{2}.$$

Jus igitur proportio quædam arithmetica nobis ostendit : τὸ δ' ἐν τοῖς συναλλάγμασι δίκαιον ἔστι μὲν ἴσον τι, καὶ τὸ ἄδικον ἄνισον, ἀλλ' οὐ κατὰ τὴν ἀναλογίαν ἐκείνην (scilicet geometricam) ἀλλὰ κατὰ τὴν ἀριθμητικήν[1].

Illam arithmeticam proportionem figura quadam geometrica (hoc enim nostræ rationum geometricarum explanationi objici potest) Aristoteles illustravit : ἴσαι αἱ ἐφ' ὧν αα ββ γγ ἀλλήλαις· ἀπὸ τῆς αα ἀφῃρήσθω τὸ αε, καὶ προσκείσθω τῇ γγ τὸ ἐφ' ᾧ γδ, ὥστε ὅλη ἡ δγγ τῆς εα ὑπερέχει τῷ γδ καὶ τῷ γζ· τῆς ἄρα ββ τῷ γδ[2] :



1. *Eth. Nic.* E. 7. 1131 b 32.
2. *Eth. Nic.* E. 7. 1132 b 6.

Prima linea (αε) rem venditoris postquam merces tradidit vel rem ejus qui injuriam passus est significat; tertia autem linea (γδ) rem emptoris postquam merces accepit vel rem furis postquam furtum fecit; denique ββ' exprimit res utriusque ita restitutas ut jus correctivum requirit. Vel etiam : ὁ δὲ δικαστὴς ἐπανισοῖ, καὶ ὥσπερ γραμμῆς εἰς ἄνισα τετμημένης, ᾧ τὸ μεῖζον τμῆμα τῆς ἡμισείας ὑπερέχει, τοῦτ' ἀφεῖλε καὶ τῷ ἐλάττονι τμήματι προσέθηκεν. ὅταν δὲ δίχα διαιρεθῇ τὸ ὅλον, τότε φασὶν ἔχειν τὸ αὑτοῦ ὅταν λάβωσι τὸ ἴσον[1]. Sic, exempli gratia, post furtum res utriusque viri figuremus :

$$\underline{\quad\alpha'\quad}\times\underline{\quad\beta'\quad} \quad (\alpha' > \beta').$$

Post judicium eas ita figurare possumus :

$$\underline{\quad\alpha\quad}\times\underline{\quad\beta\quad} \quad \left(\alpha = \beta \text{ vel } \alpha = \frac{\alpha + \beta}{2}\right).$$

Sed hic quid opus est geometricis illis figuris? Aristoteles, cum figura alterum justitiæ genus illustravisset alterum per analogiam illustravit. Sed illæ lineæ numerorum quorumdam vices tenent neque obscurius fuisset numeros quam lineas ponere. Imo numeri lineas explicant : jure igitur mathematici hanc proportionem arithmeticam vocaverunt.

Aristoteles per justitiam æqualitatem intelligit, sed duplex est æqualitas : ἔστι δὲ διττὸν τὸ ἴσον· τὸ μὲν γὰρ ἀριθμῷ, τὸ δὲ κατ' ἀξίαν ἐστί· λέγω δ' ἀριθμῷ μὲν τὸ πλήθει ἢ μεγέθει ταὐτὸ καὶ ἴσον, κατ' ἀξίαν δὲ τὸ τῷ λόγῳ. Οἷον ὑπερέχει κατ' ἀριθμὸν μὲν ἴσον τὰ τρία τοῖν δυοῖν καὶ ταῦτα τοῦ ἑνός $(3 - 2 = 2 - 1)$· λόγῳ δὲ τὰ τέτταρα τοῖν δυοῖν καὶ ταῦτα τοῦ ἑνός· ἴσον γὰρ μέρος τὰ δύο τῶν τεττάρων καὶ τὸ ἓν τοῖν δυοῖν· ἄμφω γὰρ ἡμίση $\left(\frac{2}{4} = \frac{1}{2}\right)$. Optime hoc *Poli-*

Nic. E. 7. 1132 a25.

ticorum loco[1] Aristoteles ostendit quantum inter se differant geometricæ et arithmeticæ proportiones. Sed quemadmodum geometricæ et arithmeticæ proportiones ita differunt inter se distributiva et correctiva justitia.

II

Hæc omnia, etsi clara esse videntur, plerique commentatores perperam intellexerunt. Nam corpus juris correctivi alii augent (ita ut jus criminale, jus civile et jus commerciale comprehendat[2]), alii extenuant (ita ut vix jus criminale et partem dimidiam juris civilis comprehendat[3]), sed omnes, paucis exceptis, ad jus correctivum pœnas pertinere dicunt quas ad jus distributivum spectare putamus[4]. Ex quo sequitur

1. *Pol.* Θ (E). 1. 1301 b 29. Cf. *Eth. Nic.* Θ. 9. 1158 b 30 : *ἔστιν γὰρ ἐν μὲν τοῖς δικαίοις ἴσον πρώτως τὸ κατ' ἀξίαν, τὸ δὲ κατὰ ποσὸν δευτέρως*...

2. Zeller (*Die Philosophie der Griechen*, 2ter Theil, 2e Abth., 3e Aufl., p. 642, n. 1) « ... Er (Aristoteles) unter dem Begriff der ausgleichenden Gerechtigkeit mit der Strafrechtspflege auch die bürgerliche und mit beiden das Vertragsrecht zusammenfasst... »

3. Trendelenburg, *Historische Beiträge*, vol. III, p. 405 sqq. Cujus sententiam Zeller, ut confutet, memorat (*op. cit.*, p. 643, n.) : « ... die ausgleichende (Gerechtigkeit) sich auf die Thätigkeit des Richters, theils in Strafsachen theils bei Streitigkeiten um das Mein und Dein beschränken soll... »

4. Attamen nescio an Michaël Ephesius jus pœnale inter partes juris distributivi numeret : existimat enim pœnas *κατ' ἀξίαν* constituendas esse : ad distributivum autem *τὸ κατ' ἀξίαν* pertinet (V. Stewart, *Notes on the Nicomachean Ethics*, vol. I, p. 446). Cf. Hepp, *Strafrechtssysteme*, vol. I, p. 8 sqq. (apud Hildenbrand, *op. cit.*, p. 294) : « Hepp, ait Hildenbrand, hat die vertheilende Gerechtigkeit ausschliesslich auf die Austheilung von Lohn und Strafe für verdienstliche oder rechtsverletzende Handlungen bezogen. » Quam

omnes fere, cum de pœnis apud Aristotelem disseruerunt, erravisse. Nihil aliud enim jus correctivum jubet nisi ut omnia quæ alter amisit ei restituantur, atque omnia quæ alter rapuit ab eo repetantur : pœna igitur, si a jure correctivo pendeat, neque corpus sontium afficit neque eorum animum emendat sed damna ab iis illata resarcit. Quamobrem Zeller Aristotelem reprehendit quod pœnam a damno non secreverit[1]. Et Thonissen scripsit : « Pœna apud Aristotelem æqualitatem facinoribus turbatam solum restituit. » Aristoteli injustæ esse pœnæ viderentur nisi bonis civibus utilitatem præberent. Aristoteles apud Græcos eamdem sententiam edidit quam apud recentiores Anglos Bentham[2].

His verbis opinionem Aristotelis recte demonstrari nemo judicabit nisi festinans *Ethica Nicomachea* legerit. Etenim

interpretationem Hildenbrand rejicit (p. 299) : « Aristoteles grundet nicht seine Theorie von der Strafe auf die vertheilende Gerechtigkeit... » sedaddit : « Der Begriff der Strafe tritt bei der ausgleichenden Gerechtigkeit nirgends deutlich hervor. » Itaque quærimus ab Hildenbrand ubi Aristoteles de pœnis egerit : quid ille respondeat mox videbimus.

1. *Op. cit.*, 2e Th., 2e Abth., 3e Aufl., p. 643 n. : « ... es aber ein unverkennbarer Mangel ist, dass Aristoteles zwischen Schadenersatz und Strafe nicht unterscheidet, und die Strafe, von der uns allerdings auch noch anderweitige Zwecke vorkommen werden, hier nur als einen den unrechtmässigen Gewinn des Verbrechers ausgleichenden Verlust behandelt. »

2. *Le droit pénal dans la République athénienne*, p. 456 : La peine, « considérée en elle-même, n'est à ses yeux que le rétablissement de l'égalité détruite par le délit. » *Ibid.* : « N'admettant pas le règne de la Providence, il devait forcément chercher la légitimité du droit de punir dans les avantages matériels que l'exercice de ce droit procure aux citoyens honnêtes. » Cf. p. 457 : « Les doctrines matérialistes d'Aristote ont rencontré un puissant adepte et un vulgarisateur illustre dans Jérémie Bentham. »

Aristoteles, cum de jure correctivo agit, de pœnis agere videtur : ὅταν, inquit, ὁ μὲν πληγῇ ὁ δὲ πατάξῃ, ἢ καὶ κτείνῃ ὁ δ' ἀποθάνῃ, διήρηται τὸ πάθος καὶ ἡ πρᾶξις εἰς ἄνισα· ἀλλὰ [ὁ δικαστὴς] πειρᾶται τῇ ζημίᾳ ἰσάζειν, ἀφαιρῶν τοῦ κέρδους[1]. Nullum verbum sæpius quam ζημία in hoc capite legimus. Si titulum quemdam huic inscribere vellemus, nonne hic : περὶ ζημίας, optime totum argumentum exprimeret? Aristoteles autem monet se de jure correctivo loqui : nonne ad jus correctivum ἡ ζημία pertinet?

Quid vero per hoc verbum (ζημία) Aristoteles intelligit? Pœnam an damnum? Reperiuntur quidem loci ubi ζημία per « pœnam » in latinam linguam recte vertitur. Sic enim de Draconis legibus Aristoteles scripsit : ἴδιον δ' ἐν τοῖς νόμοις οὐδέν ἐστιν ὅ τι καὶ μνείας ἄξιον, πλὴν ἡ χαλεπότης διὰ τὸ τῆς ζημίας μέγεθος[2]. Vel etiam de causis seditionum dixit : περὶ δὲ ὧν στασιάζουσιν ἐστὶ κέρδος καὶ τιμὴ καὶ τἀναντία τούτοις. καὶ γὰρ ἀτιμίαν φεύγοντες καὶ ζημίαν ἢ ὑπὲρ αὑτῶν ἢ τῶν φίλων, στασιάζουσιν ἐν ταῖς πόλεσιν[3]. Observemus tamen in hoc loco pœnæ (τῇ ζημίᾳ) quæstum (τὸ κέρδος) opponi : ergo, cum hoc verbum (κέρδος) nunquam præmium significat, cur illud (ζημία) pœnam designaret? Sæpe[4] enim ζημία damnum exprimit : ζημίᾳ affligitur non solum hic qui fecit sed etiam ille qui passus est injuriam. Per ζημίαν Aristoteles intelligit et injuriam ab altero acceptam et pretium ab altero persolutum ; per κέρδος intelligit et fructum quem alter e furto duxit et pecu-

1. *Eth. Nic.* E. 7. 1132 a 7-10. V. caput integrum.
2. *Pol.* B. 12. 1274 b 16. Quod ab Aristotele scriptum esse dubium est.
3. *Pol.* Θ (E). 2. 1302 a 32. Cf. *Rhet.* A. 12. 1372 a 35 sqq.
4. *Rhet.* A. 12. 1372 a 8, b 12 ; *Eth. Nic.* H. 7. 1149 a 30. Cf. locos ubi ζημία et μισθός opponuntur inter se : E. 8. 1133 a 5, etc.

niam quam alter pro damno accepto sumpsit. Quibus verbis Aristoteles non ita utitur ut hunc qui quæstum consecutus sit probet vel illum qui injuriam tulerit improbet : animadvertit tantum alterum plus, alterum minus quam antea possidere. Quid de hac re Aristoteles senserit facile intelligimus cum legimus unde hæc verba (κέρδος et ζημία) sumpserit : « nata sunt hæc nomina, damnum et lucrum, ab eo contractu qui sponte initur » : ἐλήλυθε δὲ τὰ ὀνόματα ταῦτα ἥ τε ζημία καὶ τὸ κέρδος ἐκ τῆς ἑκουσίου ἀλλαγῆς· τὸ μὲν γὰρ πλέον ἔχειν ἢ τὰ ἑαυτοῦ κερδαίνειν λέγεται, τὸ δὲ ἔλαττον τῶν ἐξ ἀρχῆς ζημιοῦσθαι[1]. Cum autem « contractibus » neque præmium neque pœna sed quæstus et damnum congruant, Aristoteles in hoc capite nusquam de pœnis, ubique de damnis locutus est.

Hoc idem altero argumento demonstremus. Aristoteles enim, cum de jure correctivo disseruit[2], nunquam ad hunc qui fecit sed semper ad illum qui passus est injuriam respexit. Cur enim furtum inter τὰ ἀκούσια συναλλάγματα numeravisset si furis animum conspexisset ? nonne fur facinus suum volens fecit? sed cum ille cui fur aliquid eripuerit nolens injuriam illam passus sit, furtum ἀκούσιον vocatur[3]. Itaque conjecturæ Ramsaueri assentiri non possumus qui his verbis jus correctivum interpretatur : «... facta injuria aut delato crimine, quantum fieri potest (jus correctivum) curat ne αἰκίσας τις vel μοιχεύσας minus doleat quam quem ipse læsit »[4]. Sed

1. *Eth. Nic.* E. 7. 1132 b 11.

2. *Eth. Nic.* E. 5. 1131 a 1-9 ; 7. 1131 b 24-1132 b 20.

3. Cf. *Rhet.* A. 7. 1365 b 19. ... διὸ καὶ οὐκ ἴση ζημία, ἄν τις τὸν ἑτερόφθαλμον τυφλώσῃ καὶ τὸν δύ' ἔχοντα· ἀγαπητὸν γὰρ ἀφῄρηται : « damnum eo majus quo utilior oculus avulsus » : hic quoque Aristoteles ad hunc qui injuriam passus est potius quam ad illum qui fecit respexit.

4. *Eth. Nic.*, ed. Ramsauer, p. 302.

potius dicemus : facta injuria aut delato crimine jus correctivum quantum fieri potest curat ne αἰκισθείς τις, injuria accepta, minus habeat quam antea habuerit [1]. Hoc jus nullum dolorem pravis civibus constituit sed felicitatem amissam bonis restituit. Si de pœnis in hoc loco Aristoteles scripsisset, miraremur quod sontes quasi prætermisisset : nihil mirum si de damnis egerit. — Recte igitur Thonissen explicavit quid de damnis sarciendis Aristoteles senserit : damno enim sarto æqualitas facinore turbata restituitur neque damna sarciuntur nisi ad felicitatem bonorum civium servandam. Hæ vero sententiæ ad pœnas non spectant.

Pœnas jus distributivum instituit. Nam cum jubeat ut cuique suum tribuamus, nonne jubet ne quid tribuamus huic qui nulla re dignus sit ? vel ut ab illo qui indignitate notetur aliquid petamus ? Is vero pœna multatur qui nihil accipit vel cogitur ut aliquid reddat. Pœna ergo a jure distributivo pendet.

At (hoc enim nobis objicietur) nihil aliud nisi bona — divitias scilicet et honores — jus distributivum inter cives dividit. Pœnæ autem inter bona communia non numerantur : αἱρετώτερον μὲν γὰρ μηδενὸς δεῖσθαι τῶν τοιούτων [τῶν τιμωριῶν καὶ κολάσεων] μήτε τὸν ἄνδρα μήτε τὴν πόλιν [2]. Pœnas ergo jus distributivum inter cives non dividit. — Respondemus omnia quæ jus distributivum inter cives dividat ab Aristotele non enumerata esse. Nam postquam divitias et honores commemoravit : « adde, inquit, cetera quæ inter cives dividi possunt : ὅσα μεριστὰ τοῖς κοινωνοῦσι τῆς πολιτείας [3]. Cur autem mala

1. *Eth. Nic.* E. 7. 1132 b 19. Cf. p. 39.
2. *Pol.* Δ (II). 13. 1332 a 11 sqq. Cf. *Rhet.* A. 9. 1366 b 31.
3. *Eth. Nic.* E. 5. 1130 b 31, 32. Hunc locum D. Thom. (*Eth.* V. L. IV, § a) sic interpretatur : « quæ sunt dividenda inter eos qui commu-

inter cives non dividerentur ? Quo magis alter dignitate præstat, eo majorem bonorum copiam (vel minorem malorum) comparabit : nam inter bona mala minora ponimus : ἐν ἀγαθοῦ γὰρ λόγῳ γίγνεται τὸ ἔλαττον κακὸν πρὸς τὸ μεῖζον κακόν [1]. Alter rursus, quo minoris valeat, eo minorem bonorum (vel majorem malorum) copiam comparabit : nam minora mala bona vocamus. Ad jus distributivum jus pœnale refertur.

Jus pœnale a jure distributivo discrepare quidam ideo arbitrantur quia, cum jus distributivum pro dignitate civium inter eos communia dividat, jus pœnale dignitatis civium oblivisci videtur : οὐδὲν γὰρ διαφέρει, εἰ ἐπιεικὴς φαῦλον ἀπεστέρησεν ἢ φαῦλος ἐπιεικῆ, οὐδ' εἰ ἐμοίχευσεν ἐπιεικὴς ἢ φαῦλος [2]. Dignitatem civium jus correctivum prætermittit : cur igitur pœnas in jure distributivo poneremus ? — Sed ad damnum æstimandum, non ad pœnam constituendam dignitas hominum omittitur : πρὸς τοῦ βλάβους τὴν διαφορὰν μόνον βλέπει ὁ νόμος [3]. Pari enim bonorum parte, vita scilicet vel muliere, alter alterum, seu patricius plebeium seu plebeius patricium spoliavit : parem igitur bonorum partem uterque restituat. Quod si vero de pœnis agamus, dignitatem hominum respiciamus : εἰ ἀρχὴν ἔχων ἐπάταξεν, οὐ δεῖ ἀντιπληγῆναι, καὶ εἰ ἄρχοντα ἐπάταξεν, οὐ πληγῆναι μόνον δεῖ ἀλλὰ καὶ κολασθῆναι [4]. Quibus verbis

nicant civili communicatione, sive sit honor, sive sit pecunia, vel quicquid aliud ad bona exteriora pertinens, *vel etiam ad mala*, sicut labor. expensæ, et similia. »

1. *Eth. Nic.* E. 7. 1131 b 20.
2. *Ibid.*, 1132 a 2.
3. *Ibid.*, 7. 1132 a 4.
4. *Ibid.*, 8. 1132 b 28-30. Cf. *Magna Moralia*, A. 33. 1194 a 37 : οὐ γὰρ δίκαιον, εἴ τις τὸν ὀφθαλμὸν ἐξέκοψέν τινός, ἀντεκκοπῆναι μόνον, ἀλλὰ πλείονα παθεῖν ἀκολουθήσαντα τῇ ἀναλογίᾳ· καὶ γὰρ ἦρξε πρότερος καὶ ἠδίκησεν. Quem locum non laudaremus nisi hunc *Eth. Nic.* explanaret, diverso

Aristoteles non solum ad civilem sed, ut ita dicam, ad ethicam dignitatem spectavit. Nam addidit : ἔτι τὸ ἑκούσιον καὶ τὸ ἀκούσιον διαφέρει πολύ : quæ ita intelligimus ut justum sit pœna graviore affligere hunc qui volens quam illum qui nolens injuriam fecerit. Itaque qui magistratum quemdam verberat non quia minore ordine ornatur, sed quia pejorem animum adhibet ideo eum Aristoteles graviore pœna multat : nam privatus quidam cum magistratum verberat leges et civitatem ipsam contemnere audet[1], magistratus autem nisi ut leges tueatur nullum civem verberat. Dignitatem vero, seu civilem seu ethicam, ad pœnam constituendam

quidem exemplo sumpto : ἀνθυπηρετῆσαί τε γὰρ δεῖ τῷ χαρισαμένῳ, καὶ πάλιν αὐτὸν ἄρξαι χαριζόμενον (E. 8. 1133 a 4).

1. Cf. *Probl.* ΚΘ. 14. 952 b 28 : οἷον ἐὰν μέν τις ἄρχοντα κακῶς εἴπῃ, μέγαλα τὰ ἐπιτίμια, ἐὰν δέ τις ἰδιώτην, οὐδέν· καὶ καλῶς· οἴεται γὰρ τότε οὐ μόνον εἰς τὸν ἄρχοντα ἐξαμαρτάνειν τὸν κατηγοροῦντα, ἀλλὰ καὶ εἰς τὴν πόλιν ὑβρίζειν. Τὸν αὐτὸν δὲ τρόπον καὶ τὸν ἐν τῷ λιμένι κλέπτοντα οὐ μόνον τὸν ἰδιώτην βλάπτειν, ἀλλὰ καὶ τὴν πόλιν αἰσχύνειν. — D. Thom. Aqu. (*Eth.*, V. L. VIII, § d) sic loquitur : « ...Philosophus dixerat quod in commutativa justitia lex attenditur solum ad differentiam nocumenti. Manifestum est autem quod quando nocumentum attendit circa substractionem rei exterioris, puta pecuniæ, non variatur qualitas nocumenti secundum diversam conditionem personæ, sed quando est nocumentum personale tunc necesse est quod quantitas nocumenti diversificetur secundum conditionem personæ. Manifestum est enim quod majus est nocumentum quando aliquis percutit principem, per quod non solam personam ipsius sed totam rempublicam lædit, quam si percutit aliquam privatam personam. » — At illa explanatio quædam obscura relinquit : nam non magis aliquem lædit is qui volens quam is qui nolens eum percutit : frustra quærimus ab Aquinate cur Aristoteles scripserit : ἔτι τὸ ἑκούσιον καὶ τὸ ἀκούσιον διαφέρει πολύ. Deinde *Problemata* nos monent illum gravi pœna multari qui non solum nocumentum sed etiam infamiam civitati intulerit. Hæc omnia, cum intelligimus pœnam ad jus distributivum pertinere, nonne satis clara esse videntur ?

Aristoteles respicit : ad jus distributivum igitur pœnæ pertinent[1].

Quod si recentioribus verbis ad species justitiæ designandas uteremur, per διανεμητικὸν δίκαιον jus publicum, per διορθωτικὸν δίκαιον jus privatum intelligeremus[2]. Is vero qui scelus fecit non solum jure publico sed etiam jure privato multatur:

1. Hildenbrand (*Op. cit.*, p. 295) hanc interpretationem rejicit : « Die Begriffe von Lohn und Strafe leitet Aristoteles keineswegs aus dem Wesen der vertheilenden Gerechtigkeit ab... Nur insoferne fallen sie unter den Gesichtspunkt der vertheilenden Gerechtigkeit als kein Subject, auf das sie Anwendung finden, vor einem andern bevorzugt oder hinter ein anderes zurückgesetzt werden darf. Denn die vertheilende Gerechtigkeit bezieht sich nur auf das Gleichmass in der Austheilung von Gütern und den ihnen entsprechenden Nachtheilen unter diejenigen, welche auf die gemeinsame Substanz des Theilungsobjectes irgend einen Anspruch haben. » Cui respondemus : finge distributionem communium æquam fuisse : tum optimo civium major erit pars bonorum minorque malorum quam pessimo : hic igitur pœna multabitur. Nescio an Hildenbrand geometricam æquitatem cum arithmetica miscuerit.

2. Cf. Aqu. (*Eth.* V. L. IV, § b) : « ... Alia species justitiæ est quæ constituit rectitudinem justitiæ in commutationibus secundum quas transfertur aliquid ab uno ad alterum, sicut prima species justitiæ attendebatur secundum quod transfertur aliquid a communi ad singulos. » Cf. Zeller (*Op. cit.*, 3e Aufl., 2ter Th., 2te Abth., p. 640, 641). « Dieses Verhältniss (ἀναλογία qua justitia exprimitur) wird aber verschiedener Art sein, je nachdem es sich um die Vertheilung bürgerlicher Vortheile und gemeinsames Besitzes an die Einzelnen handelt, mit welcher es die austheilende Gerechtigkeit, oder um die Aufhebung und Verhinderung von Rechtsverletzungen, mit welcher es die ausgleichende Gerechtigkeit zu thun hat. » Quae ipse annotat : « wir würden genauer sagen : je nachdem es sich um das öffentliche oder das Privatrecht handelt. » (Nonne sic in jure distributivo pœnas reposuit quas juri correctivo prius tribuerat? Nonne jure publico pœnæ instituuntur ?) Notandum est tamen jus distributivum ultra fines juris publici regnare : hic enim justus est qui καὶ αὑτῷ πρὸς ἄλλον καὶ ἑτέρῳ πρὸς ἕτερον id quod æquum est tribuit (*Nic.* E. 9. 1134 a 3-6).

damnum enim quod alicui intulit pensat, pœnam vero luit pro indignitate sua. Sic apud Aristotelem jus correctivum res male mutatas restituit, jus vero distributivum indignos homines castigat.

III

Quæ cum ita sint, tertiamne justitiæ speciem Aristoteles agnoscere potuit?

Hoc nonnulli credunt. Cum enim Aristoteles scripserit : τὸ δ'ἀντιπεπονθὸς οὐκ ἐφαρμόττει οὔτ' ἐπὶ τὸ διανεμητικὸν δίκαιον οὔτ' ἐπὶ τὸ διορθωτικόν[1], Michelet et Ramsauer[2] hunc locum sic explicaverunt ut, præter jus distributivum et jus correctivum, tertiam juris speciem τὸ ἀντιπεπονθός adderent. Nonne Aristoteles ostendit homines hoc tertio justitiæ genere sæpissime uti? ἐν ταῖς κοινωνίαις ταῖς ἀλλακτικαῖς συνέχει τὸ τοιοῦτον δίκαιον τὸ ἀντιπεπονθός, κατὰ ἀναλογίαν καὶ μὴ κατ' ἰσότητα. τῷ ἀντιποιεῖν γὰρ ἀνάλογον συμμένει ἡ πόλις[3]. « Videbimus, inquit Michelet, jus talionis seu justum commutátivum, in commutandis contrahendisque rebus usurpatum, neque geometricam proportionem disjunctam justi distributivi, neque arithmeticam proportionem continentem justi correctivi referre, sed propriam quamdam proportionem voluntariis contractibus

1. *Eth. Nic.* E. 8. 1132 b 23.

2. V. etiam Trendelenburg, *Hist. Beitr.*, v. III, p. 404-408; Jackson (*Nic.* V. ed. J., p. 86-92); Stewart, *Notes on the Nic. Eth.*, vol. I, p. 449; Hildenbrand, *op. cit.*, p. 291 : « Anders als in den obigen Fällen verhält sich die Sache jedoch bei den Tauschverträgen. Bei diesen muss das Talionsprincip zur Anwendung kommen. »

3. *Eth. Nic.* E. 8. 1132 b 31.

adhibendam in quas postquam dignitatis personarum aliquatenus habita ratione pretium operum per geometricam proportionem disjunctam stabilitum sit, per arithmeticam proportionem continentem opera ad æqualitatem redigantur[1]. » Et Ramsauer : « Accedit hoc capite, inquit, ad duo genera quæ ab initio sola proposita fuerant... tertium aliquod genus : quod, veterum opinione commendatum tale quidem quale illi laudabant accipi nequit, relatum vero imprimis ad mercium permutationem redactumque ad analogiam quamdam haud est negligendum[2]. » Nisi Michelet et Ramsauer errore deciperentur, Aristoteles legem talionis justam esse existimavit.

Errore vero decipiuntur : Aristoteles enim ostendit legem talionis, quia neque juri distributivo neque juri correctivo congruit, injustam esse[3]. Injuste enim, si quis imprudens virum quemdam occidisset, vitam interfectoris pro vita interfecti eriperes. Injuste, si quis magistratus te verberavisset, illum referires. Hoc satis est ut jus talionis juri distributivo repugnare videatur. Quo nunc modo juri correctivo repugnat? Nonne, ut jus talionis ita jus correctivum jubet judices idem ab altero repetere quod alteri eripuerit ? Sed jus correctivum (hoc si recte explicaverimus) jubet præsertim ut id quod cuidam ereptum sit ei reddatur. Ad pœnam jus talionis, ad damnum jus correctivum ; illud ad eum qui fecit, hoc ad eum qui passus est injuriam pertinet ; castigat alterum (perperam quidem) scelera, alterum adversæ fortunæ succurrit.

1. *Eth. Nic.*, ed. Michelet, vol. II, p. 171.
2. *Eth. Nic.*, ed. Ramsauer, p. 315.
3. Cf. Thom. Aqu. (*Eth.* V. L. VIII), Barthélemy-Saint Hilaire (*La Morale d'Aristote,* vol. II, p. 152) et plerosque interpretes.

Falsam igitur justitiæ speciem, quia neque juris distributivi neque juris correctivi pars est, jus talionis præbet.

Veram autem justitiæ speciem jus talionis præbet dummodo jure distributivo vel correctivo emendetur. Ἁπλῶς jus talionis injustum est, sed κατὰ ἀναλογίαν justum[1]. Quid vero per « jus talionis ad analogiam redactum » (τὸ ἀντιπεπονθὸς κατὰ ἀναλογίαν) Aristoteles intelligit nisi jus correctivum cum jure distributivo permixtum? Non aliter ipse Michelet jus talionis interpretatus est: nam jus talionis per duplicem quamdam proportionem expressit cujus altera pars ex geometrica proportione justi distributivi, altera ex arithmetica proportione justi correctivi constaret. Jus talionis nihil habet proprium et peculiare. Tertium igitur justitiæ genus Aristoteles non agnovit[2].

Agnovitne duo justitiæ genera? Jusne correctivum distributivo juri repugnat? — Verbis potius quam re alterum ab altero distinguitur. Nam cum utrumque simul requiritur, utrumque ad unum et eumdem finem respicit.

Requiritur utrumque cum merces permutantur. Architectus, exempli gratia, domum sutori vendit qui calceos ei retribuet. Ut justitia correctiva servetur, oportet architectum quantum dedit tantum accipere. Sed id quod dedit quanti æstimandum? hoc docet justitia distributiva: domus enim est præmium quod laborem architecti remuneratur: quod præ-

1. *Eth. Nic.* E. 8. 1132 b 21, 33.

2. Idem concluditur ex hoc *Nic.* loco (E. 7. 1131 b 24) : *τὸ μὲν οὖν ἓν εἶδος τοῦ δικαίου τοῦτο ἐστίν (τὸ διανεμητικόν), τὸ δὲ λοιπὸν ἓν τὸ διορθωτικόν*. Ad h. loc. sic loquitur Grant (vol. II, p. 112) : « This excludes all possibility of the writer having conceived another kind of justice, to be called « catallactic » or some such name, as it has been sometimes fancied. »

mium pro dignitate ejus metiri debemus[1]. Et cum eadem ratione calcei laborem sutoris remunerentur dignitatique ejus hoc præmium respondere debeat, scribere licet[2] :

$$\frac{\text{architectus } (\alpha)}{\text{domus } (\gamma)} = \frac{\text{sutor } (\beta)}{\text{calcei } (\delta)}.$$

Quoniam autem architectus sutori domum tradit atque a sutore calceos accipit, scribendum est[3] :

$$\frac{\text{architectus } (\alpha)}{\text{calcei } (\delta)} = \frac{\text{sutor } (\beta)}{\text{domus } (\gamma)}.$$

Quod non verum est nisi calcei tanti quanti domus æstimentur. Quæramus igitur quot calcei pretium domus æquent.

1. Cf. Grant (vol. II, p. 118) : « That is, the value of the product is determined by the quality of the labour spent upon it. The sort of comparison here made between the quality of farmer and shoemaker seems connected with a Greek notion of personal dignity and a dislike of βαναυσία. » Grant addit : « But in the following section a view more in accordance with Political Economy is taken, — for it is said that all products must be measured against one standard, and that this is in reality « demand » (χρεία). » — Noli tamen principium oblivisci : « the value of the product is determined by the quality of the labour spent upon it ; » nam, ut « jus commerciale » a jure distributivo distingueret, Trendelenburg (*op. cit.*, p. 404) scripsit : « Das Gerechte dieser Gattung (τὸ συναλλακτικόν) kann der vertheilenden nicht zugehören, denn die vertheilende Gerechtigkeit sieht auf das Verdienst und den Werth der Personen, wovon bei den auf den Markt gebrachten Erzeugnissen nicht die Rede ist. » Errat autem Trendelenburg : ad dignitatem hominum in contractibus respicitur : v. *Nic.* E. 8. 1132 b 31 sqq

2. *Eth. Nic.* E. 8. 1133 a 5 sqq.

3. *Ibid.* : sic interpretamur hunc locum : ποιεῖ δὲ τὴν ἀντίδοσιν τὴν κατ' ἀναλογίαν ἡ κατὰ διάμετρον σύζευξις. Conjunguntur enim in secunda proportione α et δ, dum in priore κατὰ διάμετρον opponebantur. Sed interpretationem quam Grant proposuit (vol. II, p. 119) falsam esse non dicimus :

$$\frac{\text{architectus} + \text{calcei}}{\text{sutor} + \text{domus}} = \frac{\text{architectus}}{\text{sutor}}.$$

Hoc quoque jus distributivum nos docet: nam quam rationem sutor ad architectum eamdem calceus ad domum habet[1].

$$\text{Si } \frac{\alpha}{\gamma} = \frac{\beta}{\delta},\ \frac{\alpha}{\beta} = \frac{\gamma}{\delta}.$$

$$\frac{\text{architectus (200)}}{\text{sutor (5)}} = \frac{\text{domus}}{\text{calceus}} = 40.$$

Quæ proportio numerum calceorum efficit quibus domus persolvetur[2]. Quotiescumque igitur inter varios homines[3] commercium quoddam intercedit, ita jus distributivum et jus correctivum implicantur ut utroque simul oporteat uti. Noli autem credere hoc permutationis mercium proprium esse. Nam qui salutanti mutuam salutationem vel beneficienti mutuum beneficium refert, is non solum præmium pro dignitate salutantis vel beneficientis reddit (quod jure distributivo jubetur), sed etiam (quod jure correctivo) id quod de commodis ejus volens nolens detraxerat ei retribuit. Adde quod, si recte de pœnis et damnis disseruerimus, pœna jure distributivo, damnum autem jure correctivo constituitur: ita ut ubique τὸ διανεμητικὸν δίκαιον et τὸ διορθωτικόν conjungi videantur.

Nihil mirum si ad eumdem finem utrumque spectet: quod facile demonstratur. Una est justitia[4], sed officio duplici

1. *Nic. loc. cit.*, 22: *δεῖ τοίνυν ὅπερ οἰκόδομος πρὸς σκυτότομον, τοσαδὶ ὑποδήματα πρὸς οἰκίαν*... Cf. 32: *ὅπερ γεωργὸς πρὸς σκυτότομον, τὸ ἔργον τὸ τοῦ σκυτοτόμου πρὸς τὸ τοῦ γεωργοῦ.*

2. Sic prisca commercii justitia constituta est: *ὅτι δ'οὕτως ἡ ἀλλαγὴ ἦν πρὶν τὸ νόμισμα εἶναι, δῆλον* (1133 b 26). Sed nihil post æs inventum mutatur, nisi quod facilius æstimantur omnia: *πάντα γὰρ μετρεῖ* (*τὸ νόμισμα*) 1133 a 20.

3. Quod sæpe evenit: *οὐ γὰρ ἐκ δύο ἰατρῶν γίνεται κοινωνία* (1133 a 16). Cf. I. 1. 1163 b 32-35.

4. Nonne tamen Aristoteles scripsit: *ὅτι μὲν οὖν εἰσὶν δικαιοσύναι πλείους... δῆλον* (*Eth. Nic.* E. 5. 1130 b 6)? Sed hunc locum, præter-

fungitur : suum cuique tum tribuit tum reddit : illud ad distributivum, hoc ad correctivum spectat. Jure distributivo utuntur non solum hi qui terras captas inter milites suos dividunt vel colonias apud Barbaros condunt[1], sed etiam cives qui magistratus conferunt vel judices qui pœnas constituunt. Quotidie vero mutatur bonorum malorumve divisio : tum requiritur jus correctivum non ut novam quamdam justitiam instituat, sed ut distributivam justitiam restituat. Hic enim civis qui volens merces suas vendidit vel nolens injuriam passus est, partem quamdam amisit ex iis quæ secundum jus distributivum acceperat : ad jus distributivum restituendum jus correctivum prodest. Hoc ea reficit quæ illud fecerat[2] : ad eumdem finem utrumque tendit. Quare in eadem definitione duas justitiæ species Aristoteles sæpe comprehendit : regnat justitia cum quisque suum accipit vel recuperat[3].

III

Hanc justitiam, cum plerisque hominibus vera justitia esse videatur, Aristoteles natura commendari putat. Num vero plerisque hominibus justum esse videtur cuique tantum dare vel reddere quanto sit dignus ? Nonne, ut de juris prin-

quam Susemihl secludit, sic interpretari possumus : species justitiæ multas esse patet. Quod verum est etiamsi justitia una sit.

1. Ut Ramsauero videtur (*Eth. Nic.*, ed. Rr, p. 310).

2. Cf. Trendelenburg, *Hist. Beitr.*, vol. III, p. 412. — Fechner, *op. cit.*, p. 31 : « Dass dieser Austausch im Bestande der früheren Rechtsverhältnisse nichts ändert... ist die Aufgabe der epanorthotischen Gerechtigkeit... die zu der vertheilenden Gerechtigkeit nur eine consekutive Stellung einnimmt. » Cf. p. 41.

3. *Eth. Nic.* E. 9. 1134 a 1, 33-35. Cf. *Rhet.*, A. 9. 1366 b 9.

cipio, ita de juris essentia philosophi politicique certant? Nam inter philosophos alii injuriam pro injuria, officium autem pro officio [1], alii officium pro injuria nos reddere jubent [2]; illi per justitiam τὴν πλεονεξίαν τῶν κρειττόνων, hi vero τὴν εὔνοιαν intelligunt [3]. Nec minus inter se discrepant politicorum sententiæ: nam cum id justum vocent quod utilitati communi indulgeat [4], ut de communi utilitate ita de justitia disputant. Quot capita, tot sententiæ. Nonne igitur Aristoteles erravit cum eam quam scripserat justitiæ definitionem plerisque hominibus communem fuisse credidit?

Responderet Aristoteles se in sua justitiæ naturalis definitione omnes philosophorum et politicorum sententias, alias aliis temperatas, comprehendisse. Nam, ut Callicles apud Platonem [5], ita Aristoteles nemini nisi servis injuriam impune accipiendam esse declarat: τῷ ἀντιποιεῖν γὰρ ἀνάλογον συμμένει ἡ πόλις. ἢ γὰρ τὸ κακῶς ζητοῦσιν, εἰ δὲ μή, δουλεία δοκεῖ εἶναι... [6]. Pulchrum est, inquit in *Arte Rhetorica*, τὸ τοὺς ἐχθροὺς τιμωρεῖσθαι μᾶλλον καὶ μὴ καταλλάττεσθαι· τό τε γὰρ ἀνταποδιδόναι δίκαιον, τὸ δὲ δίκαιον καλόν... [7]. Sed postquam hoc sophistis con-

1. *Eth. Nic.* E. 8. 1132 b 21 : *δοκεῖ δέ τισι καὶ τὸ ἀντιπεπονθὸς εἶναι ἁπλῶς δίκαιον, ὥσπερ οἱ Πυθαγόρειοι ἔφασαν· ὡρίζοντο γὰρ ἁπλῶς τὸ δίκαιον τὸ ἀντιπεπονθὸς ἄλλῳ*. De eadem doctrina apud Socratem, vide Xenoph., *Mem.*, II, 6, 35 ; II, 2, 2 ; 3, 14.

2. *Gorgias*, 475 e ; *Crito*, 49 a ; *Civ.*, I, 334 b.

3. *Pol.*, A. 6, 1255 a 17.

4. *Eth. Nic.* Θ. 11. 1160 a 11 : *καὶ ἡ πολιτικὴ δὲ κοινωνία τοῦ συμφέροντος χάριν δοκεῖ καὶ ἐξ ἀρχῆς συνελθεῖν καὶ διαμένειν. τούτου γὰρ καὶ οἱ νομοθέται στοχάζονται· καὶ δίκαιόν φασιν εἶναι τὸ κοινῇ συμφέρον...* De utilitatis justitiæque conjunctione apud Demosthenem, v. Maurice Croiset, *Des Idées morales dans l'éloquence politique de Démosthène*, p. 198.

5. *Gorgias*, 483 b.

6. *Eth. Nic.* E. 8. 1132 b 33.

7. *Rhet.* A. 9. 1367 a 19 ; cf. *Rhet.* B. 9. 1387 b 13 sqq. : *διὸ καὶ οἱ ἀνδραποδώδεις καὶ φαῦλοι καὶ ἀφιλότιμοι οὐ νεμεσητικοί...*

cedit, Platonis partes sequitur : nam cum pulchrum sit injuriam ulcisci, turpius est injuriam alicui inferre quam ab aliquo accipere[1]. Deinde non satis est alicui officium pro officio reddere, sed oportet ei qui primus mihi benefecit me rursus primum benefacere : ἀνθυπηρετῆσαί τε γὰρ δεῖ τῷ χαρισαμένῳ, καὶ πάλιν αὐτὸν ἄρξαι χαριζόμενον[2]. Adde quod honesti viri humaniter etiam cum hostibus suis agunt : Platonem enim Aristoteles reprehendit quod custodes civitatis jusserit ut « graves sint ad ignotos : πρὸς οὐδένα γὰρ εἶναι χρὴ τοιοῦτον (χαλεπόν), οὐδέ εἰσιν οἱ μεγαλόψυχοι τὴν φύσιν ἄγριοι, πλὴν πρὸς τοὺς ἀδικοῦντας[3]. His etiam qui injuriam passi sunt licet indulgentia uti : ὁ μὴ ἀκριβοδίκαιος ἐπὶ τὸ χεῖρον ἀλλ' ἐλαττωτικός, καίπερ ἔχων τὸν νόμον βοηθόν, ἐπιεικής ἐστιν...[4] Sic reconciliantur et jus talionis et jus benevolentiæ : quæ verbis magis quam re inter se differunt. Nam Plato cum suadet ne pœnis hostem nostrum affligamus odium potius quam amorem in hostes docet : quoniam enim pœnæ morbos animi sanant, idem facit is qui pœna sontem quemdam orbat ac si remediis ægrum quemdam orbet. Eamdem igitur legem et Callicles et Plato tulerunt : officium officio, injuriæ injuria respondeat ; sed inter injurias Callicles nihil nisi dolores, Plato impunitatem quoque numerat. Plato non tam a sophistis dissentit quam postea a Platone dissentiet Christus. Nihil mirum igitur si Platonis sophistarumque sententias Aristoteles reconciliare potuerit.

Eadem ratione Aristoteles sententias diversas quas de

1. *Rhet*. A. 7. 1364 b 21.
2. *Eth. Nic*. E. 8. 1133 a 4.
3. *Pol*. Δ (H) 7. 1328 a 8 sqq.
4. *Eth. Nic*. E. 14. 1138 a 1. Cf. *ibid*., 12. 1136 b 20 : *ὁ γὰρ ἐπιεικὴς ἐλαττωτικός ἐστιν* (hunc quidem locum Susemihl Eudemo tribuit), vel etiam *Top*. Z. 3. 141 a 16 : *ἐπιείκεια ἐλάττωσις τῶν συμφερόντων καὶ δικαίων* ; *Rhet*. A. 13. 1374 b 10.

tribuendis bonis et sophistæ et socratici philosophi secuti sunt in definitione sua comprehendit. Alii τὴν πλεονεξίαν τῶν κρειττόνων laudibus efferunt quam alii vituperant. Sed qui viri per hoc verbum : οἱ κρείττους designantur ? Utrum viribus corporis an virtutibus animi alter alteri præcellit ? τὴν πλεονεξίαν omnino injustam esse Socrates et Plato negarent sed justam esse dicerent τὴν τῶν ἀρίστων πλεονεξίαν. Hoc Socrates docet eos esse κρείττους qui virtute potius quam potentia ceteris prævaleant [1]. Omnes de justitia idem sentiunt, sed varias justitiæ definitiones ideo proponunt quia varias de dignitate hominum opiniones habent. Ut illam (qua Aristoteles justitiam distributivam expressit) geometricam proportionem constituant alii alios numeros eligunt [2], sed inter philosophos quis negat justitiam per proportionem geometricam recte definiri ?

At politici quid de hac proportione cogitant ? Hi justitia juberi dicunt non ut communia pro cujusque civis dignitate dividamus, sed ut publicæ utilitati indulgeamus. Justitia vero ab Aristotele non ita descripta est ut utilitati publicæ repugnaret : οὐδὲ τὸ δίκαιον πόλεως φθαρτικόν [3]. Imo justitiam civitatibus utilissimam esse credit : civitates enim stare non possunt nisi cives civibus injurias pro injuriis, officia pro officiis reddant : τῷ ἀντιποιεῖν γὰρ ἀναλόγον συμμένει ἡ πόλις [4]. Neque stare possunt civitates nisi res pro cujusque civis dignitate

1. *Gorgias*, 489 c.

2. Sint, ex. gr., Achilles (α), Ajax (β), nummi Achillis (γ), nummi Ajacis (δ). Omnes scribent $\frac{\alpha}{\beta} = \frac{\gamma}{\delta}$: sed hic Achillem per 8, ille per 10, tertius autem per 20 designabit. Et idem de Ajace. Ergo, non aliter de nummis.

3. *Pol.* Γ. 10. 1281 a 20.

4. *Eth. Nic.* E. 8. 1132 b 33.

dividantur : μόνον γὰρ μόνιμον τὸ κατ' ἀξίαν ἴσον καὶ τὸ ἔχειν τὰ αὑτῶν [1]. Excitantur enim seditiones et civilia bella cum cives perperam magistratus eligunt: ἐντεῦθεν αἱ μάχαι καὶ τὰ ἐγκλήματα, ὅταν ἢ ἴσοι μὴ ἴσα ἢ μὴ ἴσοι ἴσα ἔχωσι καὶ νέμωνται [2]. E justitia salus oritur. Itaque Aristoteles justitiam sæpe ita definivit ut eam cum utilitate permiscuisse videretur : ἕνα μὲν τρόπον δίκαια λέγομεν τὰ ποιητικὰ καὶ φυλακτικὰ εὐδαιμονίας καὶ τῶν μορίων αὐτῆς τῇ πολιτικῇ κοινωνίᾳ [3]. Vel etiam : ἔστι δὲ πολιτικὸν ἀγαθὸν τὸ δίκαιον, τοῦτο δ' ἔστι τὸ κοινῇ συμφέρον [4]. Vel de republica disserens : φανερὸν τοίνυν ὡς ὅσαι μὲν πολιτεῖαι τὸ κοινῇ συμφέρον σκοποῦσιν, αὗται μὲν ὀρθαὶ τυγχάνουσιν οὖσαι κατὰ τὸ ἁπλῶς δίκαιον... [5]. Quid vero per communem utilitatem intelligunt politici? Utilitatem omnium eorum qui bonorum communium sunt participes [6]. Hi vero communium bonorum sunt participes qui digni esse videntur ut partem quamdam accipiant. Et quo majorem dignitatem præbent, eo majorem communium bonorum partem accipiunt. Sed errant plerique homines cum dignitatem hominum æstimant [6] : quamobrem nullus est qui idem ac quivis alius vel de utilitate communi vel de justitia sentiat. Aequis partibus alii, alii imparibus bona communia dividi cupiunt, quia æquos alii, alii impares esse cives existimant. Numeros

1. *Pol.* Θ (E) 7. 1307 a 26 ; cf. Δ (H) 14. 1332 b 28 : ... χαλεπὸν μένειν τὴν πολιτείαν τὴν συνεστηκυῖαν παρὰ τὸ δίκαιον.
2. *Eth. Nic.* E. 6. 1131 a 22.
3. *Eth. Nic.* E. 3. 1129 b 17.
4. *Pol.* Γ. 12. 1282 b 17.
5. *Pol.* Γ. 6. 1279 a 17.
6. Τὸ κοινῇ συμφέρον idem esse ac τὸ συμφέρον οὗ πάντες κοινωνοῦσιν ex hoc loco *Pol.* Γ. 6. 1279 a 31 conjicimus : ἢ γὰρ οὐ πολίτας φατέον εἶναι τοὺς μετέχοντας, ἢ δεῖ κοινωνεῖν τοῦ συμφέροντος. Cf. *Pol.* Γ. 13. 1283 b 40.
7. *Pol.* Γ. 9. 1280 a 8 sqq.

igitur e quibus geometrica juris distributivi ratio constituitur alii alios eligunt, sed nemo negat justitiam hac ratione recte definiri.

Ut justitiam quamdam inveniret quæ omnibus fere hominum sententiis et legibus congrueret, Aristoteles, ut ita dicam, justitiæ « formam » definivit, « materiam » vero omisit. Quæ natura facienda jubeat Aristoteles enumerare noluit, sed rationem quamdam docuit qua adhibita facile scimus quid natura jubeatur vel vetetur. Hoc mihi faciendum proposui : nonne plus quam debitum sumam ? num injuriam alicui inferam ? quid pro mercibus acceptis venditori reddam ? Proportione geometrica vel arithmetica recte scripta, scio quid agam. Sèd quo pacto proportiones illæ recte scribuntur? quos numeros inscribam ? hoc natura nos non docet : jus naturale nihil aliud est nisi jus « formale » : τὸ γὰρ δίκαιον ἐν ταῖς διανομαῖς ὁμολογοῦσι πάντες κατ' ἀξίαν τινὰ δεῖν εἶναι, τὴν μέντοι ἀξίαν οὐ τὴν αὐτὴν λέγουσι πάντες ὑπάρχειν... [1]. Quæ sit cujusque dignitas natura tacet, sed, dignitate alicujus cognita, quid illi tribuendum sit natura dicit.

1. *Eth. Nic.* E. 6. 1131 a 25. Cf. *Pol.* Γ. 12. 1282 b 18 : *δοκεῖ δὲ πᾶσιν ἴσον τι τὸ δίκαιον εἶναι, καὶ μέχρι γέ τινος ὁμολογοῦσι τοῖς κατὰ φιλοσοφίαν λόγοις, ἐν οἷς διώρισται περὶ τῶν ἠθικῶν (τὶ γὰρ καὶ τισὶ τὸ δίκαιον, καὶ δεῖν τοῖς ἴσοις ἴσον εἶναι φασίν).* *Pol.* Θ (E) 1301 a 27.

CAPUT TERTIUM

DE DIGNITATE ET INDIGNITATE ; DE PRÆMIIS ET PŒNIS

Ideo de justitia homines dissentiunt quia de dignitate (ἀξία) non consentiunt. De dignitate quid sentire oportet? Hæc est vera justitia quæ cuique pro sua vera dignitate bona communia vel tribuit vel reddit. Sed qua ratione illam veram hominum dignitatem cognoscemus?

I

Inter homines quis ceteris præcellit? utrum hic qui magnam divitiarum copiam habet an ille qui ex nobili genere ortus est? nonne libertas vel potentia dignitatem alicui confert? Politici alii aliam sententiam sequuntur : τὴν ἀξίαν οὐ τὴν αὐτὴν λέγουσι πάντες ὑπάρχειν, ἀλλ' οἱ μὲν δημοκρατικοὶ ἐλευθερίαν, οἱ δ' ὀλιγαρχικοὶ πλοῦτον, οἱ δὲ εὐγένειαν, οἱ δ'ἀριστοκρατικοὶ ἀρετήν [1]. Nec minus inter se pugnant philosophi. Nam cum Xenophanes [2] et Democritus [3] hos contemnunt qui vires corporis vel potentiam vel divitias vel genus nobile jactant,

1. *Eth. Nic.* E. 6. 1131 a 26. Cf. *ibid.*, Θ. 12. 1161 a 1 sqq.; *Pol.* Z (Δ) 8. 1294 a 9-11.
2. Fr. 19.
3. Fr. mor., ed. Mullach : fr. 136.

tum sophistæ [1] potentiam laudibus extollunt. Socratici rursus dignitatem a sapientia nunquam sejungunt [2]. Denique, cum plerisque Græcorum servi liberis viris impares dignitate esse videntur, Cynici liberos servis præstare negant [3]. Cui harum sententiarum Aristoteles assensit?

Aristoteles, cum ab omnibus philosophis et politicis veritatem quamdam de dignitate hominum perceptam esse credidit, omnes sententias in unam redigere conatus est. Nam virtute cuiquam dignitatem conferri dicit, sed ita virtutem definit ut ceteris bonis pretium quoddam tribuat : virtus enim e materia et forma constat quarum hæc a mente, illa vero a corpore vel a rebus externis pendet [4]. Variatur dignitas hominum non solum si forma, sed etiam si materia virtutis variatur, non solum si mentis habitus meliores aut pejores fiunt, sed etiam si vires corporis et copia divitiarum crescunt vel minuuntur. Qua lege posita, videamus quos dignitatis gradus Aristoteles inter homines constituerit.

Gradus dignitatis Aristoteles ita constituit ut, eos ab humillimis ad amplissimos recensentes, ab animalibus ad divina ascenderemus. Nam humillimi hominum et corpore et mente vix animalibus præstant. Animalia rationis expertia cupiditatibus serviunt [5]; nesciunt quem ad finem agant, sed gaudio vel dolore impelluntur ad id agendum quod necessarium

1. *Civitas*, 338 c ; *Gorgias*, 484.
2. *Gorgias*, 488 c, 489 c, 490.
3. Zeller, *La Philosophie des Grecs* (gall. vers., vol. III, p. 292, 293). Cf. Aristotelis *Pol.* A. 3. 1253 b 20.
4. Jure igitur Fechner (*Op. cit.*, p. 34) ἀξίαν per « sittlichen Werth » reddidit; sed jure Hildenbrand (*Op. cit.*, p. 294) hanc interpretationem rejecit : non solum enim virtus sed etiam externa bona dignitatem constituunt.
5. *Pol.* A. 5. 1254 b 23.

est ut vitam servent; quamobrem validis membris utuntur. Non aliter quidam homines validum corpus habent ad necessarium usum (ἰσχυρὰ σώματα πρὸς τὴν ἀναγκαίαν χρῆσιν[1]), sed, quanquam rationis participes sunt, finem quemdam prævidere et eligere non possunt[2]. Quare, nisi aliena voluntas eos quid faciendum juberet, nihil aliud agerent nisi cibum quærerent vel sensus exercerent. Quibus hominibus, ut instrumentis suis opifex [3], ita dominus ad propositum efficiendum utitur : ut instrumenta eo magis valent quo firmiora et tractabiliora sunt, ita servi eo magis quo, validiore corpore præditi, docilius et diligentius dominis suis parent : hæc est servorum virtus[4]. Servis, ut verbis Aristotelis utamur, eadem est atque animalibus « causa materialis » (id est corpus) neque servorum « causa formalis » (id est animus) a forma animalium longe abest. Denique, ut animalium, ita servorum « causa finalis » ab alieno intellectu pendet[5].

Quod si quis finem suum[6] ipse prævideat atque eligat, liber

1. *Pol. loc. cit.*, 28.

2. *Pol.* A. 5. 1254 b 20 : ἔστι γὰρ φύσει δοῦλος... ὁ κοινωνῶν λόγου τοσοῦτον ὅσον αἰσθάνεσθαι ἀλλὰ μὴ ἔχειν. Cf. A. 2. 1252 a 31 : τὸ μὲν γὰρ δυνάμενον τῇ διανοίᾳ προορᾶν ἄρχον φύσει καὶ δεσπόζον φύσει, τὸ δὲ δυνάμενον ταῦτα τῷ σώματι ποιεῖν ἀρχόμενον φύσει καὶ δοῦλον. *Pol.* A. 13, 1260 a 12 : ὁ μὲν γὰρ δοῦλος ὅλως οὐκ ἔχει τὸ βουλευτικόν...

3. *Pol.* A. 4. 1253 b 25 sqq. : κτῆμά τι ἔμψυχον. Cf. *Eth. Nic.* Θ. 13. 1161 a 34 : ... ἀλλ' οἷον τεχνίτῃ πρὸς ὄργανον καὶ ψυχῇ πρὸς σῶμα καὶ δεσπότῃ πρὸς δοῦλον... ὁ γὰρ δοῦλος ἔμψυχον ὄργανον...

4. *Pol.* A. 13. 1260 a 35 : ... ὥστε δῆλον ὅτι καὶ ἀρετῆς δεῖται μικρᾶς, καὶ τοσαύτης ὅπως μήτε δι' ἀκολασίαν μήτε διὰ δειλίαν ἐλλείψει τῶν ἔργων.

5. Ita ut servorum virtutes a dominis ipsæ pendeant : φανερὸν τοίνυν ὅτι τῆς τοιαύτης ἀρετῆς αἴτιον εἶναι δεῖ τῷ δούλῳ τὸν δεσπότην... (*Pol.* A. 13. 1260 b 3).

6. Jure igitur Fechner scripsit (*Op. cit.*, p. 112) : « Der Werth des

est. Sed inter ingenuos homines gradus quosdam discernimus : mens enim finem ad quem pergit tum clare, tum obscure percipit; vires autem tum adsunt, tum deficiunt ut id efficiatur quod erat propositum. Et quia puerorum imperfectus intellectus id quod vult facere nescit, mulierum autem inermis intellectus id quod vult facere nequit, ideo minor est puerorum et mulierum quam virorum dignitas [1]. Ut causa materialis et causa formalis ita variantur gradus dignitatis.

Cum causa formali simul causa finalis mutatur : nam finem mens (sive forma) sibi constituit. Quem vero finem? Hunc quem hominum proprium esse Aristoteles dictitat : nam cum φύσει πολιτικὸν ὁ ἄνθρωπος [2] sit, propria hominis vita civilis est. Quo aptiores ad rem publicam gerendam viri liberi sunt, eo majorem consequuntur dignitatem. Quam ob rem non solum animi virtutes sed etiam externa bona requiruntur. Nam ut rebus publicis operam suam dent, cives otio frui debent (μηδεμίαν ἐργάζεσθαι βάναυσον τέχνην [3]); ut vero otium habeant cives rem possidere debent : ἐξ ἀρχῆς γὰρ τοῦθ' ὁρᾶν ἐστὶ τῶν ἀναγκαιοτάτων, ὅπως οἱ βέλτιστοι δύνωνται σχολάζειν... δεῖ βλέπειν καὶ πρὸς εὐπορίαν χάριν σχολῆς [4]. Denique corpore suo non solum ad necessitates vitæ sublevandas sed etiam ad utilitatem civitatis promovendam ingenui viri utuntur :

Menschen beruht auf seinem Zweck. » Attamen dignitas hominis non solum e causa finali sed ex efficiente causa necnon e materia formaque pendet.

1. *Pol.* A. 13 1260 a 12 : ὁ μὲν γὰρ δοῦλος ὅλως οὐκ ἔχει τὸ βουλευτικόν, τὸ δὲ θῆλυ ἔχει μέν, ἀλλ' ἄκυρον, ὁ δὲ παῖς ἔχει μέν, ἀλλ' ἀτελές. Cf. *Rhet.* A. 9. 1367 a 16.

2. *Eth. Nic.* A. 5. 1097 b 11 ; cf. I, 9. 1169 b 18.

3. *Rhet.* A. 9. 1367 a 31.

4. *Pol.* B. 11. 1273 a 32.

quare corpus civium non solum validum[1] sed pulchrum est : [τὰ σώματα τῶν ἐλευθέρων] ὀρθὰ καὶ ἄχρηστα πρὸς τὰς τοιαύτας ἐργασίας (sc. τὰς τῶν δούλων ἐργασίας) ἀλλὰ χρήσιμα πρὸς πολιτικὸν βίον[2]. Non tanti valent vires corporis quanti fortitudo animi[3] : primas partes virtutes civiles agunt quoniam vitam civilem homines vivere cupiunt.

Nunc materialem causam mutemus. Nam inter illos liberos homines qui societatem inter se faciunt, alii divitiis abundant, alii carent : divitesne pauperibus præpollent? Ipsæ divitiæ dignitatem hominibus conferunt. Aristotelem non fugit divites vitiis obnoxios esse : superbiae primum : ὥσπερ γὰρ ἔχοντες ἅπαντα τἀγαθὰ οὕτω διάκεινται[4], deinde injustitiæ : ἐπεὶ ἀδικοῦσί γε τὰ μέγιστα διὰ τὰς ὑπερβολὰς ἀλλ' οὐ διὰ τὰ ἀναγκαῖα· οἷον τυραννοῦσιν οὐχ ἵνα μὴ ῥιγῶσιν[5], postremo stultitiæ : καὶ ὡς ἐν κεφαλαίῳ, ἀνοήτου εὐδαίμονος ἦθος πλούτου ἐστίν[6]. Neque Aristotelem fugit divitiis homines ornari sed non emendari[7]. Attamen putat divitias materiam ampliorem ad virtutem colendam animo præbere : cum enim iis bonis divites fruuntur quorum causa pauperes injusta admittere soleant[8], vitia quædam ab illis vitantur. Rursus ea possident quibus utentes virtutem facilius colant : φαίνεται δ' ὅμως καὶ

1. Ut arma ferre possint : *Pol.* Γ. 12. 1283 a 20 : δεῖ... καὶ τῆς πολεμικῆς ἀρετῆς, cf. A. 5. 1254 b 31.
2. *Pol.* A. 5. 1254 b 29. Cf *Rhet.* A. 5. 1361 a 2, b 3.
3. *Rhet.* A. 7. 1364 b 20.
4. *Rhet.* B. 16. 1390 b 34.
5. *Pol.* B. 7. 1267 a 12.
6. *Rhet.* B. 16. 1391 a 14.
7. Fragm. 89. 1491 b 36 : νόμιζε δὲ τὴν εὐδαιμονίαν οὐκ ἐν τῷ πολλὰ κεκτῆσθαι γίγνεσθαι, ἀλλ' ἐν τῷ τὴν ψυχὴν εὖ διακεῖσθαι, κ. τ. λ.
8. *Pol.* *Z* (Δ) 8. 1293 b. 38 : ἔτι δὲ δοκοῦσιν ἔχειν οἱ εὔποροι ὧν ἕνεκεν οἱ ἀδικοῦντες ἀδικοῦσιν.

τῶν ἐκτὸς ἀγαθῶν προσδεομένη (ἡ εὐδαιμονία)...· ἀδύνατον γὰρ ἢ οὐ ῥᾴδιον τὰ καλὰ πράττειν ἀχορήγητον ὄντα. πολλὰ μὲν γὰρ πράττεται, καθάπερ δι' ὀργάνων, διὰ φίλων καὶ πλούτου καὶ πολιτικῆς δυνάμεως[1]. Adde quod saluti et felicitati reipublicæ divites magis quam pauperes indulgere possunt : nam Athenienses, exempli gratia, navibus ludisque scenicis orbati essent nisi ex divitibus civibus trierarchos et choragos quosdam elegissent. Ut divitiæ ita cetera externa bona (ἡ πολυφιλία, ἡ πολιτικὴ δύναμις) quia ethicis et politicis virtutibus materiam præbent copiosam ideo dignitatem hominum augent.

Rursus, materia eadem manente, finge formam mutari. Nam ex iis qui non solum corpus validum et pulchrum sed etiam libertatem, divitias, amicos, imperia possident, alii fatis ducuntur, alii vitam suam ratione regere conantur. Cur huic qui solus vel qui primus vel qui sæpe[2] aliquid fecit majorem dignitatem tribuimus quam illi qui, ut idem faciat, societatem cum aliis quibusdam conjungit vel alios imitatur vel conatum iterare nequit? Nisi quia alterum ratione præditum, alterum ratione orbatum esse arbitramur? δίκαιος δὲ οὐδεὶς οὐδὲ σώφρων ἀπὸ τύχης οὐδὲ διὰ τὴν τύχην ἐστίν[3]. Sed contra : ἴδιον τοῦ σπουδαίου τὸ κατὰ προαίρεσιν[4]. Non satis est vero rationem materiæ virtutis adhiberi : necesse est enim rationem illa materia non solum uti sed ho-

1. *Eth. Nic.* A. 9. 1099 a 31. Cf. 11. 1101 a 14 : *τί οὖν κωλύει λέγειν εὐδαίμονα τὸν κατ' ἀρετὴν τελείαν ἐνεργοῦντα καὶ τοῖς ἐκτὸς ἀγαθοῖς ἱκανῶς κεχορηγημένον, μὴ τὸν τυχόντα χρόνον ἀλλὰ τέλειον βίον ;*

2. *Rhet.* A. 9. 1368 a 10 : hic Aristoteles τὰ *αὐξητικὰ* dignitatis enumerat : *οἷον εἰ μόνος ἢ πρῶτος ἢ μετ' ὀλίγων ἢ καὶ ὃ μάλιστα πεποίηκεν· ἅπαντα γὰρ ταῦτα καλά.* Cf. 13 : *καὶ εἰ πολλάκις τὸ αὐτὸ κατώρθωκεν· μέγα γάρ, καὶ οὐκ ἀπὸ τύχης, ἀλλὰ δι' αὐτὸν ἂν δόξειεν.*

3. *Pol.* Δ (H) 1. 1323 b 28.

4. *Rhet.* A. 9. 1367 b 21.

neste uti. Hæc enim materia incerta res est (ἀόριστος[1]). Nam pulchritudo, valetudo, amici, divitiæ, omnia (virtute excepta) bona per se sunt sed quibusdam hominibus mala (ἐστὶν μὲν ἁπλῶς ἀεὶ ἀγαθά, τινὶ δ' οὐκ ἀεί[2]) : itaque virtuti vitioque eamdem materiam præbere solent. Nunquam nisi usu cernimus utrum hæc materia recte an perperam ratione informetur : ἡ ἐντελέχεια χωρίζει[3]. Illi ipsi qui calamitatibus obruuntur, cum rebus suis honeste utuntur, virtutem comparant : τὸν γὰρ ὡς ἀληθῶς ἀγαθὸν καὶ ἔμφρονα πάσας οἰόμεθα τὰς τύχας εὐσχημόνως φέρειν καὶ ἐκ τῶν ὑπαρχόντων ἀεὶ τὰ κάλλιστα πράττειν...[4]. Et ii rursus qui bonis abundant opibus pessime, cum virtute carent, utuntur : ἄνευ γὰρ ἀρετῆς οὐ ῥᾴδιον φέρειν ἐμμελῶς τὰ εὐτυχήματα[5]. Sed qui amplissimam bonorum copiam (materiam) cum optima virtute (forma) conjungit, nonne is ad summum dignitatis gradum ascendit?

Huic tamen præcellunt homines qui non solum bona ipsi comparaverunt, sed etiam ab avis suis divitias et virtutes acceperunt[6]. Non satis est quidem aliquem a nobili stirpe oriri ut ceteris hominibus præstet[7] : nam inter patricios multi degeneraverunt[8]. Sed sæpius fit ut virtutem ii colant quorum patres virtutem coluerunt : εἰκὸς γὰρ ἐξ ἀγαθῶν ἀγαθοὺς..... εἶναι[9]. Ut virtute, ita divitiis præstare possunt οἱ εὐγενεῖς : nam

1. *Metaph.* Z. 11. 1037 a 27 ; Θ. 7. 1049 b 2.
2. *Eth. Nic.* E. 2. 1129 b 3. Cf. *Rhet.* A. 1. 1355 b 4.
3. *Metaph.* Z. 13. 1039 a 7.
4. *Eth. Nic.* A. 11. 1100 b 35.
5. *Eth. Nic.* Δ. 8. 1124 a 30.
6. *Rhet.* A. 5. 1360 b 33. Cf. *Pol.* Z (Δ) 8. 1294 a 19 : ἡ γὰρ εὐγένειά ἐστιν ἀρετὴ καὶ πλοῦτος ἀρχαῖος.
7. *Pol.* Γ. 12. 1282 b 31 sqq.
8. *Rhet.* B. 15. 1390 b 22-31.
9. *Rhet.* A. 9. 1367 b 30. Cf. *Pol.* Γ. 13. 1283 a 35-37; Fragm. 1491 a 23.

cum is qui divitias ipse comparat res alienas detinere videtur, tum illi qui ab antiquissimis avis rem accepit ipsam naturam divitias tribuisse putares : τὸ ἀρχαῖον ἐγγύς τι φαίνεται τοῦ φύσει [1]. Patricium igitur quemvis cuivis plebeio præponere injustum est, sed plura instrumenta ad virtutem adipiscendam patricii quam plebeii præ manibus habent : quibus cum recte utuntur ad summum civilis dignitatis gradum perveniunt.

Ad summum humanæ dignitatis gradum is pervenit qui dianoeticas virtutes colit. Sed hic ex humano genere egreditur divinamque dignitatem comparat [2]. Omnes igitur hominum ordines ab animalibus ad divina enumeravimus.

II

De his dignitatis gradibus quædam notanda sunt.

Primum « gradus » recte, si possimus, interpretemur : nam nescio an intelligas homines inter se magnitudine dignitatis differre : nonne Aristoteles, ut proportionem geometricam juris distributivi scriberet, personas per numeros quosdam expressit ? nonne merito editores Aristotelis sententias ita explicaverunt ut, exempli gratia, Ajacem per 4, Achillem vero per 8 designarent [3] ? — At omnia illa mathematica signa nihil nisi speciem justitiæ fingunt neque illis Aristoteles nisi per similitudinem utitur. Summi viri dignitatem non solum ma-

1. *Rhet.* B. 9. 1387 a 16. Cf. 25 : hic Aristoteles explicat cur vulgus homines novos magis oderit quam ceteros : αἴτιον δ' ὅτι οἱ μὲν δοκοῦσι τὰ αὑτῶν ἔχειν, οἱ δ' (homines novi) οὔ· τὸ γὰρ ἀεὶ οὕτω φαινόμενον ἔχειν ἀληθὲς δοκεῖ, ὥστε οἱ ἕτεροι οὐ τὰ αὑτῶν ἔχειν.

2. *Eth. Nic.* H. 1. 1145 a 19 : ... ἀρετὴν ἡρωικήν τινα καὶ θείαν...

3. V. Michelet (*Eth. Nic.*, vol. II, p. 166).

jorem sed etiam meliorem quam infimi comparaverunt. Absurde is diceret qui vitam speculativam majorem esse vita politica vitamque politicam majorem vita animali diceret: virtus enim dianoetica non major sed melior est virtute ethica, virtusque ethica non major sed melior est voluptate: fines enim quos homines sibi proponunt specie non magnitudine distinguuntur. Neque magnitudine sed specie distinguuntur et formæ et materiæ: non solum liberi viri intellectu majore quam servi sed alio intellectu præditi sunt, non solum plura divites quam pauperes possident sed alia: nam hi nullo alio instrumento nisi corpore suo, illi non solum corpore sed etiam rebus suis ad virtutem adipiscendam utuntur. Et quia « qualitate » (τῷ ποίῳ) potius quam « quantitate » (τῷ πόσῳ) fines, materiæ, formæ inter homines distinguuntur, ideo « qualitate » potius quam « quantitate » ordines hominum inter se differunt.

Deinde, etsi specie alii ab aliis differunt, ordines hominum non ita constituuntur ut vir inferiori ordini adscriptus ad superiorem ascendere, vel rursus superiori adscriptus ad inferiorem cadere nequeat. Aristoteles enim Platonem reprehendit quod homines alios ab aliis tantum distare quantum ferrum ab auro dicit: φησὶ δὲ τοῖς μὲν εὐθὺς γιγνομένοις [τὸν θεὸν] μῖξαι χρυσὸν, τοῖς δ' ἀργύριον, χαλκὸν δὲ καὶ σίδηρον τοῖς τεχνίταις μέλλουσιν ἔσεσθαι καὶ γεωργοῖς. Ex quibus consequentia eliciamus: οὐχ ὁτὲ μὲν ἄλλοις ὁτὲ δὲ ἄλλοις μέμικται ταῖς ψυχαῖς ὁ παρὰ τοῦ θεοῦ χρυσός, ἀλλ' ἀεὶ τοῖς αὐτοῖς [1]. Neque ferrum in aurum unquam mutatur neque aurum in ferrum; sed pauperes divitias comparare vel divites opes amittere, patricii ignominia notari vel etiam servi libertate donari possunt: nam nulla est digni-

1. *Pol.* B. 5. 1264 b 12.

tatis causa neque materialis neque formalis neque efficiens neque finalis quæ mutari nequeat. Vires et divitiæ tum deficiunt, tum abundant; intellectus autem tum hunc, tum illum finem eligit; omnibus suis bonis homines tum recte tum pessime utuntur. Dignitatem igitur tum novam comparant tum priorem amittunt.

Denique, ex antecedentibus facile cernimus quid de gradibus indignitatis Aristoteles senserit. Nam si quis ex ordine suo cadat, quo ornatior fuit eo pejore indignitate notatur: κάκιστον γὰρ τὸ ἐναντίον τῷ βελτίστῳ[1]. Quo facilius virtutem colere potuisset, eo minus valet is qui virtutem contempsit. Pravi sunt servi qui voluptatibus tantum indulgent ut animalium vitam vivere videantur, sed servus cum cecidit ex astris non cecidit: itaque praviores sunt ingenui viri qui bestiarum mores ceperunt: quorum ea est indignitas ut rari etiam inter Barbaros reperiantur; neque Græci animalium vitam imitantur nisi morbis affligantur[2]. Pravi sunt ingenui viri qui servilem vitam elegerunt[3], sed praviores si ex nobili stirpe orti sint. Ut omnibus anteponimus hunc virum qui ea quæ facienda sunt neque fatis impulsus neque errore deceptus sed sciens volensque efficit, ita illum qui sciens et volens ea quæ vitanda sunt efficit omnibus postponimus: ὥσπερ γὰρ καὶ

1. *Eth. Nic.* Θ. 12. 1160 b 9.
2. *Eth. Nic.* H. 1. 1145 a 29.
3. *Eth. Nic.* A. 3. 1095 b 19. Hunc locum si ad verbum intelligeremus, Aristoteles secum pugnare videretur : nam hic *οἱ μὲν οὖν πολλοὶ παντελῶς ἀνδραποδώδεις φαίνονται βοσκημάτων βίον προαιρούμενοι*, illic (H. 1. 1145 a 29) *ὁ θηριώδης σπάνιος*. Vel alterutrum locum suspicari vel alterum sic interpretari debemus : *οἱ πολλοὶ παντελῶς ἀνδραποδώδεις φαίνονται φορτικώτατον* (v. 16) vel potius *ἀπολαυστικόν* (v. 17) *βίον προαιρούμενοι* : hic gradus enim non *θηριότητι* sed *ἀκρασίᾳ* respondet. Cf. H. 1. 1145 a 18 sqq.

τελεωθὲν βέλτιστον τῶν ζῴων ἄνθρωπός ἐστιν, οὕτω καὶ χωρισθὲν νόμου καὶ δίκης χείριστον πάντων[1].

III

Quæ cum ita sint, scire possumus quibus præmiis bonos remunerare, quibus autem pœnis pravos castigare justum sit.

Primum enim, cum alterius dignitas (vel indignitas) alterius dignitati (vel indignitati) non magnitudine sed specie præstet, specie, non magnitudine præmium (vel pœna) alterius præmio (vel pœnæ) alterius præstare debet: ... ἕκαστον τῶν ἀγαθῶν οὐ τοῦ τυχόντος ἄξιον, ἀλλά τις ἔστιν ἀναλογία καὶ τὸ ἁρμόττον, οἷον ὅπλων κάλλος οὐ τῷ δικαίῳ ἁρμόττει ἀλλὰ τῷ ἀνδρείῳ, καὶ γάμοι διαφέροντες οὐ τοῖς νεωστὶ πλουσίοις ἀλλὰ τοῖς εὐγενέσιν...[2].

Deinde videmus quæ præmia cuique dignitatis generi vel quæ pœnæ cuique indignitatis generi congruant. Nam officio suo si quis recte fungatur, justum erit vel hoc officium illi prorogare vel illum ampliore officio ornare; si quis autem officio suo pessime fungatur, justum erit illum ex hoc officio amovere. In superiorem ordinem is promoveatur qui ortus ex ordine inferiore vitam ordinis superioris propriam vivit; qui vero ex ordine superiore ortus vitam ordinis inferioris

1. *Pol.* A. 2. 1253 a 31 sqq. Cf. *Rhet.* A. 13. 1374 b 4 sqq. *Eth. Nic.* E. 10. 1135 b 10-30: Aristoteles (vel Eudemus) hæc tria discernit: ἀτυχήματα (ὅσα παράλογα καὶ μὴ ἀπὸ μοχθηρίας), ἁμαρτήματα (ὅσα μήτε παράλογα καὶ μὴ ἀπὸ μοχθηρίας), ἀδικήματα (ὅσα μήτε παράλογα ἀπὸ μοχθηρίας τε ἐστίν). Cf. etiam *Rhet.* A. 13. 1374 a 11; *Eth. Nic.* H. 7. 1149 b 12: ἔτι ἀδικώτεροι οἱ ἐπιβουλότεροι.

2. *Rhet.* B. 9. 1387 a 27.

peculiarem agit, is in inferiorem ordinem dejiciatur. His præmiis bonos remunerandos, his pœnis pravos castigandos esse Aristoteles docet.

Horum præmiorum harumque pœnarum gradus consideremus.

Omnis homo, modo vita prave non utatur, dignus est qui vivat. « Antequam sensus insit et vita » abortum inferre licet, sed hoc postea vetatur[1]. Res animi expertes nullum jus habent: οὐκ ἔστιν πρὸς τὰ ἄψυχα... δίκαιον. Sed jus quoddam habet omnis homo quia nominatur homo: δοκεῖ γὰρ εἶναί τι δίκαιον παντὶ ἀνθρώπῳ πρὸς πάντα τὸν δυνάμενον κοινωνῆσαι νόμου καὶ συνθήκης... καθ' ὅσον ἄνθρωπος[2]. Nonne his locis Aristoteles hæc jura agnovit quæ « jura hominis » vocamus vel saltem ex iis unum quod « jus servandæ vitæ »[3] dicitur?

Inter homines si quidam ita natura constituantur ut alterius voluntate regantur, justum est eos servire. Nam Aristoteles cum vetat eos in servitutem vi redigi quos natura dignos libertate creaverit[4], tum suadet ut eos venemur quos natura libertate indignos fecit[5]: qui servi nullo jure fruuntur[6]. Si tamen dominis non obtemperent, noli credere eos dominis statim occidendos vel statim verberandos esse. His ut instrumentis dominus utitur ; hos ut instrumenta ita dominus effringere potest; sed servi non solum animo sed etiam ratione (imbecilla quidem) præditi sunt: itaque non

1. *Pol.* Δ (II) 16. 1335 b 24.
2. *Eth. Nic.* Θ. 13, 1161 b 2, 6-8.
3. Gallice « droit à l'existence ».
4. *Pol.* A. 6. 1255 a 5, 12 sqq.
5. *Pol.* A. 8. 1256 b 23.
6. *Eth. Nic.* Θ. 13. 1161 a 34 : ... οὐδὲ γὰρ δίκαιον· ἀλλ' οἷον τεχνίτῃ πρὸς ὄργανον καὶ ψυχῇ πρὸς σῶμα καὶ δεσπότῃ πρὸς δοῦλον...

solum verberibus sed etiam verbis coercentur [1]. Rursus si mandata domini tam fideliter exsequantur quam manus nostræ mandata capitis, non solum utilitati domini sed etiam utilitati suæ servi indulgent : nam amicitiam quamdam cum dominis jungunt qua sibi dignitatem adsciscunt [2]. Denique omnes libertatem sperare possunt [3].

Inter ingenuos homines pueri, mulieres et viri societatem domesticam constituunt quam jus quoddam juri civili simile regit [4]. Pueri ob invalidum intellectum mulieresque ob invalidum corpus summum imperium domi occupare non possunt. Ut in democraticis civitatibus magistratus civibus, ita vir mulieri ; ut in monarchicis rex subditis, ita pater pueris praestat [5]. Quod si mulier et pueri patrifamiliæ pareant, Aristoteles tacet quod præmium accipiant : sed id facile conjicimus : mox enim puer magistratum domesticum invadet ; mulier autem, ut civis in democraticis civitatibus, quo magis valet eo majorem imperii partem a viro accipiet. Rursus si pueri patri parere recusent, domo excluduntur [6] ; mulierem vero, Aristotele tacente, dubitamus

1. *Pol.* A. 1260 b 5-7.

2. *Pol.* A. 6. 1255 b 10-13.

3. *Pol.* Δ (H) 10. 1330 a 32, 33. Cf. A. Croiset, *Hist. de la litt. grecque,* t. IV, p. 726 : « Aristote cherche les raisons philosophiques de l'esclavage et il les trouvé dans la supériorité de l'homme libre... L'esclavage est juste et utile à l'esclave comme au maître s'il est fondé sur cette supériorité ; mais au nom des mêmes principes, si par hasard l'esclave est moralement l'égal de son maître, il a droit à la liberté. Et ainsi la théorie d'Aristote se trouve préparer le renversement de l'institution qu'il accepte et justifie. »

4. *Eth. Nic.* E. 10. 1134 b 9-17.

5. *Pol.* A. 12. 1259 b 10.

6. *Nic.* Θ. 16. 1163 b 18 : ubi Aristoteles mores communes refert ac laudare videtur.

an officio suo destitui sive repudiari jubeat[1]. Sed quoniam jus domesticum jus civile imitatur, nonne pœnæ et præmia utroque jure constituta similitudinem quamdam præbere debent ?

Jure domestico cognito, pergamus ad jus civile (δίκαιον πολιτικόν). Quisque civis, ut libertatem suam servet, aliquid possidere debet ; quisque civis, ut recentioribus verbis utamur, non solum « jus proprietatis » sed « jus in proprietatem » quoddam habet[2]. Itaque Plato, ut rem cuique tribueret, omnes divitias in communi posuit : quod Aristoteli displicuit. Etenim non solum rem quamdam sed rem eo majorem quo magis valet quisque possidere debet. Divitiis autem in communi positis, qua ratione cuique pro dignitate sua divitiæ tribuerentur ? Ergo divitias dividamus ; sed ut quisque rem suam adipiscatur, primum certos fines iis qui divitias congerunt constituamus[3], deinde cupiditates hominum ita moderemur ut nimias divitias cupere nolint[4], denique eos suadeamus ut divitiis suis amice sive communiter

1. Aristoteles refert matrimonium, cum desunt pueri, sæpe dirimi (*Nic.* Θ, 14. 1162 a 27), vel aliquando cum abundant (*Pol.* B. 10. 1272 a 22-24). Sed homines conjugium subeunt non solum procreationis sed etiam earum rerum gratia quæ vitæ prosunt (*Nic.*, loc. cit., 1162 a 20). Nonne licet eis matrimonium solvere cum iis rebus non fruuntur ?

2. Cf. Oncken, *Staatslehre des Ar.*, vol. I, p. 192 : « Wenn Laboulaye... sagt : « Der Mensch hat vermöge eines Naturgesetzes das Bewusstsein und das Bedürfniss des Eigenthums, und Eigenthum ist die erste Bedingung jeder persönlichen Arbeit... », so spricht er nur aus was vor ihm bereits Aristoteles... erkannt hat. »

3. *Pol.* B. 7. 1266 b 15 : ... ἔχει τινὰ δύναμιν εἰς τὴν πολιτικὴν κοινωνίαν ἡ τῆς οὐσίας ὁμαλότης.

4. *Ibid.*, 29 : μᾶλλον γὰρ δεῖ τὰς ἐπιθυμίας ὁμαλίζειν ἢ τὰς οὐσίας, τοῦτο δ'οὐκ ἔστι μὴ παιδευομένοις ἱκανῶς ὑπὸ τῶν νόμων.

fruantur[1]. Sic enim, salva justitia distributiva, omnes jus liberaliter vivendi tuebuntur.

Divitiis inter cives divisis alii recte alii pessime utuntur. Recte officio suo divites cives funguntur qui non solum temperantiam, ut Platoni videbatur, sed etiam liberalitatem colunt[2]. Pessime autem qui divitias suas semper ad suam felicitatem, nunquam ad utilitatem ceterorum civium convertunt. Hos divitiis nudare, illorum divitias augere nonne justum est? Recte officio suo divites cives funguntur qui, cum onera vectigalium gravia sustinent, non solum utilitati civium sed saluti civitatis indulgent: nonne justum est iis, si divitiæ quædam communes inter cives dividendæ sint, magnam partem tribuere[3]? Imo quoniam divitiæ civilem, ut ita dicam, virtutem conferre videntur, justum est quosdam magistratus ex divitibus eligi. Attamen, eæ civitates non vitio carent quæ nullos alios magistratus nisi divites instituunt[4]: divitiæ enim « materiam », sed non « formam » virtutis civilis constituunt.

Pro virtute magistratus inter cives dividendi sunt: imperia et honores præmia sunt virtutis propria[5]: nulla est justa civitas nisi viris optimis magistratus tribuat. Ex hoc principio omnia quæ Aristoteles in *Politicis* scripsit emanare videntur. Primum enim, qua ratione magistratus eligendos esse censuit? Apud Lacedœmonios ii qui magistratus gerere

1. *Pol.* B. 5. 1263 a 3, 38 : φανερὸν τοίνυν ὅτι βέλτιον εἶναι μὲν ἰδίας τὰς κτήσεις, τῇ δὲ χρήσει ποιεῖν κοινάς. Cf. Δ (II) 10. 1330 a 1 : ἀλλὰ τῇ χρήσει φιλικῶς γιγνομένῃ κοινήν, οὔτ' ἀπορεῖν οὐδένα τῶν πολιτῶν τροφῆς.
2. *Pol.* B. 6. 1265 a 32.
3. *Eth. Nic.* E. 7. 1131 b 29; *Pol.* Γ. 9. 1280 a 25-31.
4. *Pol.* Z (Δ). 7. 1293 b 10 sqq.
5. *Pol.* B. 9. 1270 b 24. Cf. B. 11. 1273 a 41 ; Δ (H) 3. 1325 b 7-12.

cupiunt hunc honorem ipsi petunt : at, inquit Aristoteles, necesse est eos imperare non qui cupiditate sed qui dignitate præstent : δεῖ γὰρ καὶ βουλόμενον καὶ μὴ βουλόμενον ἄρχειν τὸν ἄξιον τῆς ἀρχῆς[1]. Quamobrem neque sorte neque censu[2] optimos magistratus designari putat. Sed is jure imperium obtinet quem civitas ad hoc gerendum educavit vel quem inter optimos cives prudentes elegerunt[3]. Sic veræ virtutis imperia et honores justa præmia sunt.

Deinde, quot cives vera virtute eminent, tot magistratus imperium tenere decet. « A priori », ut ita dicam, Aristoteles dubitat utrum justius sit unum an plures imperare. Sed si vir unus tantum ceteris præstet quantum dii hominibus, sine dubio justum est hunc virum unum imperare[4] ; si ordo quidam civium ceteris ordinibus præstet, hunc ordinem imperare justum[5] ; omnes denique imperent si pares sint[6]. Nemo in rebus politicis usui, vel « experientiæ » magis quam Aristoteles unquam confisus est : « a priori » quidem scimus magistratus inter cives pro dignitate dividendos esse, sed quæ sit civium dignitas usus docet. — Quid, Aristotelis temporibus, docet usus ? Nemo est, inquit, qui regis personam sustineat : οὐ γίνονται δ' ἔτι βασιλεῖαι νῦν διὰ τὸ πολλοὺς εἶναι τοὺς ὁμοίους καὶ μηδένα διαφέροντα τοσοῦτον ὥστε ἀπαρτίζειν πρὸς τὸ μέγεθος καὶ τὸ ἀξίωμα τῆς ἀρχῆς[7]. Rursus nemo indignus est

1. *Pol.* B. 9. 1271 a 11.
2. *Rhet.* A. 8. 1365 b 31 sqq.
3. *Pol.* Δ (H) 4. 1326 b 14 : πρὸς δὲ τὸ κρίνειν περὶ τῶν δικαίων καὶ πρὸς τὸ τὰς ἀρχὰς διανέμειν κατ' ἀξίαν ἀναγκαῖον γνωρίζειν ἀλλήλους, ποῖοί τινές εἰσι, τοὺς πολίτας.
4. *Pol.* Δ (H) 3. 1325 b 10 ; Γ. 13. 1284 b 32-34.
5. *Pol.* Δ (H). 14. 1332 b 16.
6. *Pol.* Γ. 6. 1279 a 8.
7. *Pol.* Θ (E) 10. 1313 a 3 sqq.

jure civili: ut enim quisque conviva cibos, etiamsi eos coquere nesciat, recte gustat, ita quisque civis, etiamsi imperium gerere nesciat, magistratus recte judicat[1]. Omnes civilem virtutem comparaverunt, sed alii aliis civili virtute præstant. Hæc igitur optima est civitas quæ civibus omnibus magistratum, infimum infimis, summum optimis mandet.

Denique quemvis magistratum imperio suo abutentem dejiciamus. Etiam optimo cuique injustum est perpetuum imperium conferre[2]; quamobrem etiam optimo cuique non licet filium suum ad honores vocare[3]: evanescunt enim virtutes cujusque viri vel cujusque generis: quare oportet cives certis quibusdam intervallis dignitatem magistratuum experiri ne imperium prorogent eorum qui dignitatem amiserint. Virtutis præmium est imperium, sed iis qui officio abutuntur ea est pœna ut in inferiorem ordinem cadant (ἀτιμία). Politicis enim virtutibus ac vitiis politica præmia politicæque pœnæ constituuntur.

Virtutis dianoeticæ peculiare quoddam est præmium, quod in mente ponitur: καθ' αὑτὰς ἂν εἶεν αἱ κατ' ἀρετὴν πράξεις ἡδεῖαι. ἀλλὰ μὴν καὶ ἀγαθαί γε καὶ καλαί... [4] Hanc qui colit eum homines forsitan pœnis multent, neque injustum est eum e finibus civitatis expellere, nam virtute sua e finibus humani generis fugit ad divina[5]. Summum imperium is in optima civitate obtineret, sed nihil mirum quod homines ostracismo eum damnare solent: divinam enim, non humanam dignitatem

1. *Pol.* Γ. 11. 1282 a 20-23.
2. *Pol.* B. 10. 1272 a 37.
3. *Pol.* Γ. 15. 1286 b 22-27.
4. *Eth. Nic.* A. 9. 1099 a 21.
5. *Pol.* Γ. 13. 1284 a 11.

comparavit. Quare divina felicitate [1], æterna scilicet atque inconcussa, fruitur nisi virtutem colere desinat. Ut ceteris hominibus, ita illis qui vitam contemplativam vivunt, ea præmia constituuntur quæ officium natura præscriptum perficiant [2], eæ pœnæ quæ virum ab hoc officio amoveant.

Hæc Aristoteles de præmiis pœnisque sensit. Nihil aliud est præmium alicui tribuere nisi eum « jure » quodam donare ; nihil aliud est aliquem pœna multare nisi eum a « jure » quodam amovere. Cum Zeller philosophum nostrum reprehendit quod « naturalia jura » ratione non deduxit [3], hoc illi concedimus nullam « Declarationem jurum hominis » apud Aristotelem reperiri ; sed cum natura cuique homini dignitatem quamdam contulerit, jus illi fecit comparandi præmia quæ ejus dignitati congruerent : jus enim naturale vitam omnium hominum tuetur, libertatem et proprietatem omnibus viris ingenuis præstat, iis denique omnibus qui virtutem ethicam colunt, pro virtute eorum, partem quamdam imperii tribuit. Neque in æternum hæc « civilia » vel « politica » jura paucorum virorum propria sunt : cum enim cuique virtutem colere licet [4], tum quisque potest omnia jura tenere. — Rursus natura omnia jura iis aufert qui dignitatem amiserunt : quo officio jus criminale fungitur : Aristoteles enim ita pœnas definivit ut mandata justitiæ distributivæ exsequi videantur. Utiles quidem civitati pœnas esse non

1. *Eth. Nic.* A. 12. 1101 b 25.

2. Cf. hæc quæ de voluptate Aristoteles scripsit : *Rhet.* A. 10. 1369 b 33 ; *Nic.* K. 5. 1175 a 30 : συναύξει γὰρ τὴν ἐνέργειαν ἡ οἰκεία ἡδονή.

3. *Die Philosophie der Griechen,* 3e Aufl., 2ter Th., 2e Abth., p. 642, n. 3, ad finem. — Cf. Hildenbrand, *Gesch. u. Syst. d. Rechts-und Staatsphilosophie,* I, p. 293 sqq.

4. *Eth. Nic.* A. 10. 1099 b 18.

negat sed eas justas esse quia utiles non putat. Neque ultionis neque piaculi causa pœnæ instituuntur[1]. Ideo pœnæ justæ sunt quia, juris distributivi præcepta servantes, ordinem cujusque in civitate statuunt.

Quæ cum Aristoteles de dignitate et indignitate, de præmiis et pœnis cogitavit, sententias ceterorum philosophorum et politicorum tum diversas conciliavit, tum imperfectas emendavit. Recte enim et democraticæ civitates libertate, et oligarchicæ divitiis aut nobilitate dignitatem metiuntur: sed « materiam » dignitatis potius quam ipsam dignitatem agnoscunt. Recte alii servos ex lege naturali, alii contra naturam in servitutem redigi contendunt; recte hic unum, ille paucos, tertius autem omnes vult imperare. Sed omnes hæc omnino justa esse credunt quæ quodam modo justa, quodam modo injusta sunt; omnes enim dignitatem

1. Neque, sicut Hildenbrand interpretatur, disciplinæ gratia. Hic enim negat apud Aristotelem pœnas e justitia pendere. « Ar., ait H. (*Op. cit.*, p. 301), bezieht die Strafe auf... die Erziehung der Bürger zur Tugend... Die aristotelische Strafrechtstheorie findet mithin die Nothwendigkeit der Strafe nicht in ihr selbst begründet, sondern in anderweitigen Zwecken, welche sie realisiren helfen soll. Sie ist also eine *relative*. Diese Zwecke sind einerseits *Prävention* durch die Strafandrohung und durch Auschliessung der Unheilbaren, andererseits *Heilung* durch die Strafzufügung. Der einheitliche höhere Zweck aber... ist der *paideutische*... nämlich die Erziehung des Volkes zur Tugend... Augenfällig ist diese Theorie des Aristoteles mit der platonischen verwandt. » — At hæc omnia ad unum *Nic. Eth.* locum referunt (K. 10. 1179 b 33 sqq.) ubi Aristoteles sententiam Platonis memorat (1180 a 5 : διόπερ οἴονταί τινες..., 12 : διὸ καί φασι...). Ipse Hildenbrand fatetur : « Aristoteles sich unverkennbar auf Platons Gesetze bezieht. » Quod si alii loci laudentur (*Rhet.* A. 10. 1369 b 12; *Nic.* Γ. 7. 1113 b 22, etc.), ii mores communes vel opiniones politicorum proferunt, sed sententiam Aristotelis tacent. Itaque rejicimus interpretationem quam proposuit Hildenbrand.

cujusque hominis in æternum eamdem manere putant, quæ quotidie mutatur: nonne hic qui hodie servus est cras liber erit? nonne ille qui principatu hodie dignus est cras indignus esse potest? Unum omnino justum est: bona communia cuique pro dignitate tribuere. Præmiis et pœnis ita civitates uti debent ut, mutata alicujus dignitate, pars bonorum vel malorum huic tributa crescat vel minuatur. Mutatur autem dignitas si mutetur hominis aut materia aut forma, aut finis. Aristoteles sententias philosophorum et politicorum neque conciliavisset neque emendavisset nisi propriam suam de causis rerum doctrinam ad dignitatem hominum æstimandam adhibuisset.

CONCLUSIO

In prooemio nostro quæsivimus an Aristoteles scientiam juris in æternum condiderit : nunc respondere licet.

Si post Aristotelis mortem leges a politicis latas vel sententias a philosophis editas consideraveris, illum operam frustra impendisse putabis. Nam quantum Aristotelis *Ethica* vel *Politica* ad leges antiquarum civitatum mutandas valuerint difficile est cognoscere, sed facilius est cernere quantum sententiæ philosophorum ab Aristotelis sententiis discrepent : sceptici enim jus esse naturale negant[1] ; naturalem esse justitiam epicurei affirmant, sed quæ nequaquam bona sit nisi hominibus utilis[2]. Stoici quidem definitionem ab Aristotele propositam cum socraticis quibusdam verbis conjunctam referunt : justitia est scientia quæ cuique pro dignitate suum tribuit : δικαιοσύνην δ' εἶναι ἐπιστήμην ἀπονεμητικὴν τῆς ἀξίας ἑκάστῳ[3]. Sed ad dignitatem æstimandam nonne stoici illa bona externa ex quibus apud Aristotelem materia dignitatis constat aspernantur ? Frustra igitur Aristoteles conatus est justitiam ita definire ut omnes philosophi deinceps iisdem verbis eam definirent ; frustra conatus est scientiam juris condere. — At etiam post Euclidis mortem

1. Cic., *de Rep.*, III, 13, 23.
2. Epicuri Sentent., 31-36. *Epicurea,* ed. Usener, p. 78, 79.
3. Stob., Ecl., II, 102.

mathematici falsas rationes confecerunt : quis tamen Euclidis *Elementa* falsa esse dicet? Nonne scepticis vel epicureis vel stoicis de justitia errare accidit ? Ergo sententias eorum omittamus ut ipsum Aristotelem consideremus.

Huic aristotelicæ doctrinæ vitia quædam inesse nos non fugit. Nam primum nonnulla obscura manent : etsi putamus nos id recte intellexisse quod Aristoteles de pœnis senserit, fatemur philosophum de pœnis non satis copiose esse locutum. Nonnulla inter se parum conveniunt : etenim, si justitia per mathematicas quasdam proportiones exprimitur, qua ratione æquitas, quæ mathematicorum leges despicit, justior justitia esse potest? Nescio an Aristoteles responderet æquitatem ideo justam esse quia injustitiæ (sive τῇ πλεονεξίᾳ) occurrit : sed hoc apud eum non legimus. Deinde, ut nobis videtur, Aristoteles non intellexit quantum ad vitam optime agendam justitia valeret. Nam negavit justitiam (stricto sensu intellectam) cum ceteris virtutibus nexu firmo conjunctam esse : ex ea tamen ceteræ virtutes principium hauriunt : cur enim alicui avaritiam vitio verteremus nisi avari sibi plus quam justum esset tribuerent? cur benignitatem virtutem vocamus nisi quia duriores viri ceteris minus dant quam justum? Nonne ipse Aristoteles putat amicitiam, nisi justa sit, nullam cum virtute societatem jungere? Rursus, nonne scribit hæc vocari vitia quæ nos ad injusta facienda impellant[1]? Postremo, si leges, quæ nos omnes virtutes docent, a justitia naturali ortum petunt, justitia naturalis omnes virtutes nos docet. Quin etiam, Aristotelem reprehendere audemus quod neminem erga semetipsum injustum fuisse negavit. Hic quidem qui volens minorem bonorum partem percepit ea

1. *Rhet.* A. 10. 1368 b 13.

quam jure percipere posset injuriam sibi non intulit; sed ille qui volens parum digne vivit et liber vitæ servorum vel servus vitæ animalium indulget, nonne injustus est erga semetipsum? Deinde, sint A persona et *a* res cujusdam viri antequam furtum fecit; sint A′ persona et *a*′ res ejusdem viri postquam fur factus est: $A' < A$, nam furtum dignitatem evertit; attamen $a' > a$, nam furtum rem auxit: non possumus scribere $\frac{A}{a} = \frac{A'}{a'}$. Hac juris distributivi proportione ad varias singulorum hominum actiones judicandas uti possumus: hoc cum Aristoteles non dicit, non satis declarat vitam hominum justitia naturali totam regi.

His vero objectis, quis non admiratur qua ratione Aristoteles scientiam juris informaverit? Nam primum Ethicæ quamdam disciplinam et, ut dicere solemus, « scientificam methodum » dedit. Hanc scientiam humanus intellectus, diis in cælo vel extra cælum relictis, constituere potest: nemo a metaphysicorum via longius discessit quam pater ille metaphysicorum. Quid opus est leges e divina voluntate hauriri cum intellectus id discernere potest quod natura jubet aut vetat? Quamobrem etiamsi de diis aliæ essent apud alios opiniones, immutata tamen et inconcussa scientia justitiæ maneret.

Intellectus autem quo modo jus naturale cognoscit? Id jure naturali jubetur aut vetatur quod plerisque hominibus juberi vel vetari videtur: itaque ad jus naturale cognoscendum quærimus quid plerique de jure sentire soleant: « experientia » ergo Ethica aristotelea nititur: adeo ut eum reprehendere possimus quod non dixerit cur plerique homines hoc vel illud justum fuisse existimaverint, scilicet cur justitia cum ratione humana mire congruat. Hoc vero præ-

termittamus: etiamsi justitiam e quodam principio « deducere » volumus, nos non fugit « experientiam » ad scientiam juris promovendam necessariam esse: quod Aristoteles nos docuit.

Quia hanc disciplinam ad Ethicam instituendam adhibuit, ideo Aristoteles Ethicam pro scientia habuit: ut verbis recentiorum philosophorum utamur, dicere possumus nos in libris Aristotelis « leges » cujusdam scientiæ, sed non « præcepta » cujusdam artis invenire. Aristoteles enim memorat: « a cupiditate iniquitatem oriri »; « hunc injustum esse qui τὴν πλεονεξίαν coercere nesciat »; sed nusquam imperat: « noli cupidus esse » aut « τὴν πλεονεξίαν coercere oportet ». — Aristoteles jus a religione disjunxit, Ethicam experientiis munivit et ita instituit ut causas et effectus actionum humanarum referret: quamobrem scripsimus Aristotelem « methodum scientificam » Ethicæ adhibuisse.

Hæc de via quæ ad ethicam veritatem ducit: quas vero ethicas veritates Aristoteles ipse invenit? Quod in ethicis æternum, quod mutabile est Aristoteles ita separavit ut etiam nunc diversam sententiam immerito sequeremur. Hoc est mutabile quod ad dignitatem et indignitatem hominum pertinet. Eumdem virum alii dignum imperio, alii indignum esse existimant. Neque iisdem viris eadem dignitas semper manet: quod si Epicteti temporibus vixisset Aristoteles, fortasse scripsisset nullum esse hominem qui libertate sit indignus. Et dignitatem nostram et rationem qua hanc æstimamus quotidie mutamus. Itaque cum justitia ad dignitatem spectet, eadem manere scientia juris non debet.

Sed illud est æternum quod jubet communia inter homines pro dignitate cujusque dividi. Ipsi philosophi qui huic justitiæ definitioni repugnare credunt (jubent enim communia

inter homines non pro dignitate sed pro utilitate cujusque dividi) quid agunt nisi dignitatem utilitate metiuntur? Sic igitur justum omnibus videtur homines dignitate pares pari felicitate, dignitate impares impari felicitate donari.

Itaque, sententiis quas Aristoteles de justitia edidit cognitis, huic opinioni (paulum mutatæ) assentimur : « Ut Euclidis *Elementa* geometriam vel Aristotelis *Organon* logicam condiderunt, ita quintus *Ethicorum Nicomacheorum* liber scientiam justitiæ in æternum constituit [1]. »

1. V. Brochard, *La Morale ancienne et la Morale moderne* (*Revue phil.*, janv. 1901, p. 12).

INDEX LIBRORUM

E QUIBUS UTILITATEM ALIQUAM PERCEPIMUS

Aristotelis *Opera* edidit Academia regia borussica, Berol., 1831-1870, 5 vol. in-4.

Aristotelis *Ethicorum Nicomacheorum* libros decem ed. MICHELET. Berol., 1829, 2 vol. in-8.

Aristotelis *Ethica Nicomachea* edidit et commentario continuo instruxit G. RAMSAUER. Lipsiæ, 1878, 1 vol. in-8.

Aristotelis *Ethica Nicomachea* recognovit F. SUSEMIHL. Lipsiæ (Teubner), 1882, 1 vol. in-12.

Alex. GRANT. *The Ethics of Aristotle,* illustrated with Essays and Notes. Fourth Edition. London (Longmans, Green and C°), 1885, 2 vol. in-8.

Aristotelis *Ethica Nicomachea* recognovit brevique adnotatione critica instruxit I. BYWATER. Oxonii, 1897, 1 vol. in-12.

The fifth Book of the Nicomachean Ethics of Aristotle. Ed. by H. JACKSON. Cambridge, Univ. Press, 1879. 1 vol. in-8.

[Aristotelis *Ethica Eudemia*] *Eudemi Rhodii Ethica,* adjecto *de virtutibus et vitiis* libello, recognovit F. SUSEMIHL. Lipsiæ, Teubner, 1884, 1 vol. in-12.

Aristotelis quæ feruntur *Magna Moralia* recognovit F. SUSEMIHL. Lipsiæ, Teubner, 1883, 1 vol. in-12.

Aristotelis *Politicorum* libros octo cum vetusta translatione Guielmi de Moerbeka recensuit F. Susemihl. Lipsiæ, Teubner, 1872, 1 vol. in-8.

Aristotelis *Politica* tertium edidit F. Susemihl. Lipsiæ, Teubner, 1882, 1 vol. in-12.

Newman. *The Politics of Aristotle,* with an Introduction, two prefatory Essays and Notes critical and explanatory, Oxford, Clarendon Press, 1887, 2 vol. in-8 (vol. I: Introduction; vol. II: Essays, text and notes Books I. II).

Aristotle on the *Constitution of Athens,* ed. by Kenyon. London, Longmans, 1891, 1 vol. in-8.

Aristotelis *Ars Rhetorica* iterum edidit Ad. Rœmer. Lipsiæ, Teubner, 1898, 1 vol. in-12.

Morale d'Aristote traduite par Barthélemy-Saint Hilaire. Paris, Durand, 1856, 3 vol. in-8.

Politique d'Aristote, traduite en français d'après le texte collationné sur les manuscrits et les éditions principales par Barthélemy-Saint Hilaire. Paris, Imprimerie royale, 1837 2, vol. in-8.

Aristote. *Constitution d'Athènes,* trad. par B. Haussoullier avec la collaboration de E. Bourguet, J. Brunhes et L. Eisenmann. Bibliothèque de l'École des Hautes Études (sciences philologiques et historiques) fascicule 89. Paris, Bouillon, 1891.

Beauchet. *Histoire du droit privé de la république athénienne.* Paris, Chevalier-Marescq, 1897, 4 vol. in-8.

Boutroux. *Études d'histoire de la philosophie,* Paris, F. Alcan, 1897, 1 vol. in-8.

Bradley. *Die Staatslehre des Aristoteles,* übers. von J. Imelmann. Berlin, Heyfelder, 1884, 83 p. in-8.

Croiset (Alfred et Maurice). *Histoire de la littérature grecque*. Paris, Thorin, 1877-1899, 5 vol. in-8.

Dareste. *La science du droit en Grèce*, Paris. Larose et Forcel, 1893. vol. in-8.

Denis. *Histoire des théories et des idées morales dans l'antiquité* Paris, Thorin, 2e éd., 1879, 2 vol. in-8.

Fechner (H. Ad.). *Ueber den Gerechtigkeitsbegriff des Aristoteles* Diss. z. Erlang. der Doctorwürde. Leipzig, Schnauss, 1855, 122 p. in-8.

Fustel de Coulanges. *La Cité antique*. Paris, Hachette, 1893 (4e éd.), 1 vol. in-12.

Grote. *Histoire de la Grèce* depuis les temps les plus reculés jusqu'à la fin de la génération contemporaine d'Alexandre le Grand (trad. de Sayous). Paris, Lacroix, 1865-1867, 19 vol. in-8.

Guiraud (P.). *La propriété foncière en Grèce* jusqu'à la conquête romaine. Paris, Hachette, 1893, 1 vol. in-8.

Hildenbrand (K.). *Geschichte und System der Rechts-und Staatsphilosophie* (Bd 1: Das klassische Alterthum). Leipzig, Engelmann, 1860, 1 vol. in-8.

Janet (P.). *Histoire de la science politique dans ses rapports avec la morale*. Paris, Alcan, 1887 (2e éd.), 2 vol. in-8.

Ollé. Laprune. *Essai sur la Morale d'Aristote*. Paris, Belin, 1881, 1 vol. in-8.

Oncken. *Die Staatslehre des Aristoteles* in historisch-politischen Umrissen. Leipzig, Engelmann, 1870-1875, 2 vol. in-8.

Perrot (G.). *Essai sur le droit public d'Athènes*. Paris, Thorin, 1869, 1 vol. in-8.

Pöhlmann. *Geschichte des antiken Communismus und Socialismus*. München, Beck, 1893-1901, 2 vol. in-8.

Ravaisson. *Essai sur la Métaphysique d'Aristote*. Paris, Imp. royale, 1837-1842, 2 vol. in-8.

Schwab. *Bibliographie d'Aristote*. Paris, Welter, 1896.

Stewart. *Notes on the Nicomachean Ethics of Aristotle*. Oxford, 1892, 2 vol. in-8.

D. Thomæ Aquinatis in X libros *Eth. Aristotelis ad Nicomachum* expositio (D. Th. Aqu. Op., t. V, Romæ, 1570, in-4).

Thonissen. *Le droit pénal de la république athénienne*, précédé d'une étude sur le droit criminel de la Grèce légendaire. Paris, Durand. 1875, 1 vol. in-8.

Trendelenburg. *Historische Beiträge zur Philosophie*. Berlin, Bethge, 1867, 2 vol. in-8.

Ueberweg. *Grundriss der Philosophie des Alterthums* (8te Aufl., bearb. von Heinze). Berlin, Mittler, 1894, 1 vol. in-8.

Zeller (Ed.). *Die Philosophie der Griechen* in ihrer geschichtlichen Entwicklung dargestellt. 4te Aufl., Leipzig, Reisland, 1877-1889, 5 vol. in-8.

INDEX RERUM

Vidi ac perlegi,
Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona,
prid. id. nov. ann. MDCCCCI,
Facultatis Litterarum in Universitate
Parisiensi Decanus,
A. CROISET.

Typis mandetur,
Academiæ Parisiensis Rector,
GRÉARD.

CARNUTI, APUD DURAND, TYPOGRAPHUM.